HENRICI THEODORI A. A. F. PAGENSTECHER,

Juris-Conſulti & in Regia Duisburgenſi Academia Anteceſſoris,

DISSERTATIONUM TRIAS,

I. De Sceptro, Majeſtatis inſigni.

II. De Regali Alluvionum Inſularumque in Flumine publico natarum jure.

III. De Appio Claudio Centemmano.

LEMGOVIÆ,
EX OFFICINA MEYERIANA.
MDCCXXXIX.

HENRICI THEODORI PAGENSTECHER,

ORATIO

DE

SCEPTRO, MAIESTATIS INSIGNI,

Publice dicta Idibus Octobris MDCCXXXV.

CUM MAGISTRATUM ACADEMICUM IN ALMA DUISBURGENSI SOLEMNITER SUSCIPERET.

Quod fauſtum, felix fortunatumque eſſe jubeat Supremus omnium Academiarum atque Scholarum Stator & Conſervator, DEUS OPTIMUS MAXIMUS!

Quotquot honora præſentia veſtra actum hunc condecoratis, AUDITORES, Cives, Hoſpites, ſuo quisque loco atque ordine honorandi, colendi!

Qui olim, ita ferente occaſione, cum quadam mei fiducia in concionem adſcendere ſolebam, atque ingenito quaſi ardore ad dicendum inflammabar; jam hodie quidem, ubi hoc tam feſto atque ſolemni Academiæ die verba mihi facienda ſunt, neſcio quid rei ſit, qui me adeo ſollicitum

atque ſterilem deprehendo, ut, quid vel quomodo dicendum ſit, vix reperiam. Cauſſas, quibus multi, publice dicturi, vehementer ſeſe perturbari, dicunt, vel mentiuntur, has ipſe ex hoc eodem loco, ſi recte meminiſtis, & riſi aliquando & exploſi. Sed eſt nunc quidem, quæ me angit, gravior quædam atque juſtior ſollicitudo. Eſt ipſiusmet, quem hodie celebramus, Diei, immo, quod Sermone hoc auſpicaturus ſum, graviſſimi Muneris conſideratio; Eſt magnifica illa, Academiæ, hodie cuſtodiæ meæ traditorum, liceat ita loqui! Kleinodiorum pompa; Eſt, eſt, ut ipſam rem dicam denique, utriusque, quod oculos, immo animum, percellit, utriusque Sceptri fulgur. Verum enim vero, dum ſic cogitationibus meis circa Sceptrum dubius volutor, ecce, & res mira dictu! idem, quod premere me modo videbatur, nunc iterum me erigit Sceptrum: & jam, veluti quodam modo adſuetus Sceptro, de ipſo Sceptro hac hora quædam in medium proferre in animum induxi. Sic eſt, A.A., & cur vos in antico Sermonis mei diutius detineam? Dicam DE SCEPTRO! Verum de Sceptro, non in genere, nimis longa enim foret Oratio: neque de Sceptro, tamquam de Symbolo, quale eſt quoque, Juſtitiæ, fidei, aut veritatis; Sed tantum, quatenus eſt *Symbolum Poteſtatis* atque *Majeſtatis inſigne*. Materia certe, & huic diei, & illi, quod ſuſtineo, muneri, maxime conveniens, tum &, niſi me quidem omnia vehementer fallunt, Illuſtri Auditorio digniſſima! Materia vero, tam ardua ſimul atque difficilis, ut ad eam, pro merito exponendam, vel exercitatiſſimus quisque facile deſpondeat animum! Sed unicum mihi eſt, in veſtra humanitate præſidium poſitum. Vos rogo atque obteſtor, ut, dum infantili lingua ad Sceptri ſublimitatem adniti conor, Vos veſtræ me benevolentiæ alis ſublevare, atque, ex formula antiqua, linguisque animisque favere velitis!

Sce-

Sceptrum, ut communiter ſentiunt, dicitur a Græco Σκήπτω, *nitor, incumbo*: eſtque nihil aliud, quam *Scipio* vel *baculus*, quo quis vel ambulans niti, vel ſtans & quieſcens incumbere poſſit. At quid aliud eſt *Poteſtas*, quam baculus quidam, quo & ipſi, qui ea præditi ſunt, cum ſuis, tum & alii, opem auxiliumque eorum implorantes, contra vim injuriamque omnem tuti eſſe poſſunt; Eleganter propterea, maximi illius Aſſyriorum Regis, Sennacheribi, Imperator & belli dux, Rabſake, (*a*) in obſidione Hieroſolymæ, tum & ipſe Deus, apud Prophetam Ezechielem, (*b*) Ægyptiorum Regem, Pharaonem, cui temere ſcil. confiſus fuerat populus Iſraeliticus, non *Sceptro*, ſed *ſcipioni* cuidam *arundineo* comparant. „Ecce (ſic verba „ſonant) (*c*) fiduciam habueris in ſcipione iſto quaſſatæ „arundinis, in Ægyptio, quo ſi quis innixus fuerit, in„trans volam ejus perforabit eam; ita eſt Pharao, Rex „Ægypti, omnibus, fiduciam habentibus in ipſo.„ In ſpecie autem, pro Sceptro, *Haſta* uſos fuiſſe Veteres, tum & ipſis Diis ſuis haſtas addidiſſe, quin Sceptra, ſive, haſtas, pro Diis coluiſſe & per ſceptra juraſſe, paſſim in eorumdem monumentis legimus. At, quid convenientius, quæſo, ad vires, robur poteſtatemque indicandam, bellico illo atque ad profligandos hoſtes idoneo inſtrumento, Haſta? Immo, quid convenientius, quam ut & illi, quorum, ut in ipſos Dei, ſic in proprios greges imperium eſt, ſive, ut uno verbo dicam, qui Dei tantum non in hiſce terris per omnia vicariatum ſuſtinent, quam ut & hi, eodem poteſtatis inſigni utantur? Cuinam populo origo hujus ſymboli proprie adſcribenda ſit, mihi equidem difficile eſt definire. Sed de Aſſyriis tamen, omnium gentium antiquiſſimis, apud Genialium Dierum ſcriptorem (*d*) refert Herodotus, ſingulos Babyloniorum, præter annulum ſignato-

(*a*) 2 *Reg.* 18. *v.* 21. *Jeſ.* 36. *v.* 7. (*b*) *Cap.* 29. *v.* 6. *ſeq.*
(*c*) *d. Lib.* 2. *Reg. & d. cap.* 36. *Jeſ.* (*d*) Alex. ab Alex. *L.* 1. *c.* 28.

gnatorium, geſtaſſe baculum affabre factum, in cujus apice (quod mihi quidem valde notabile videtur) aut lilium, aut aquila, aut aliud quoddam ſymbolum conſpiciebatur. Si ſacras revelatæ Religionis Pandectas conſulimus, nihil ſane frequentius eſt, quam ut & ibi ſumma poteſtas eodem Sceptri exprimatur ſymbolo. Teſtor omnia illa loca (*a*), ubi de Babyloniæ, Ægyptiorum, Syriæ, Moabitarum, aliorumque regum Sceptro, mentio injicitur. Et quid mirum ergo, & ipſum ſpirituale Meſſiæ regnum ſub Sceptri ſymbolo venire? Maxime, cum & ipſum *medium*, quo Regnum illud, in tempore, a Judæis ad alias gentes protendendum erat, Verbum ſcil. Dei atque prædicatio Evangelii, eodem ſymbolo exprimi videamus. Notus eſt locus. (*b*) „Emiſſurus eſt Jehova Sceptrum regni tui, „Domine, e Zione, dicens: Dominare in medio inimico„rum tuorum!„ Præviderat illud jam diu ante vir ille, cui, ut de ſe ipſe prædicabat, oculi aperti erant, audiens ſermones Dei & noſcens viſiones Excelſi: „Procedet (di„cebat) (*c*) ſtella ex Jacobo & exſurget Sceptrum ex Iſ„raële, quod franget latera Moabitarum & deſtruet omnes „eos, qui pone ſunt.„ Licet dubitandum non ſit, eo ipſo vaticinio *temporale* quoque populi Iſraëlitici, & *Regium* quidem, indigitari Sceptrum. Vel ipſa enim Sacræ Scripturæ litera (*d*) teſtante, implementum inveniſſe ſuum in illo, quem ipſe a pedo ad Sceptrum evexerat, Viro ſecundum cor Dei; hunc enim, ut finitimos alios, ſic & Moabitas, adeo percuſſiſſe, ut ſervi ipſius fierent, adferentes munus. Et hoc quidem initium fere illius, in populo Iſraëlitico, temporalis Sceptri! Volumus & finem? Hoc multi quærunt in decantatiſſimo Jacobi Patriarchæ vaticinio. Refert Moyſes (*e*), Jacobum, nunc morti vicinum atque filiis

(*a*) *Jeſ.* 14. *v.* 5. *Zach.* 10. *v.* 11. *Amoſ.* 1. *v.* 5. *Jerem.* 48. *v.* 17.
(*b*) *Pſ.* 110. *v.* 2. conf. *Jeſ.* 2. *v.* 3. (*c*) *Num.* 24. *v.* 17.
(*d*) 2 *Sam.* 8. *v.* 2. (*e*) *Gen.* 47. *v.* 31. & 49. *v.* 10.

Digitized by Google

filiis ſuis benedicturum, cum ſe inclinaſſet ad cervical lecti ſui, ſive, ut Apoſtolus, (*a*) Græcos ſecutus, cum ſe inclinaſſet ad mucronem baculi, vel, ut Lutherus reddidit, Sceptri ſui, in benedictione filii Judæ, inter alia, in hæc erupiſſe verba: „Non recedet Sceptrum a Juda, neque Le„gislator e medio pedum ejus, usquedum veniat Schilo.„ Verum enim vero, ſi nobis noſtram ad hæc expromere licet ſententiam, ego quidem lubens accedo ſententiæ, exiſtimantium, (*b*) verba Jacobi, non disjunctive, ſed conjunctive, & hoc ſenſu accipienda eſſe: Non recedet Sceptrum *cum* Legislatoribus, ita ut, licet recedat Sceptrum, non æque receſſuri ſint Legislatores. Niſi enim hoc, vel alio commodo ſenſu, explicentur, impoſſibile eſt, ſtatuere, Sceptrum, pro Majeſtatis inſigni ſumtum, vel in Iſraëlitico populo, vel in tribu Juda, ex Sententia Patriarchæ, manſurum usque ad adventum Meſſiæ. Quid? An non jam ſtatim Sceptrum a Juda æque, ac ab Iſraële receſſit, in utraque illa captivitate, tum Aſſyriorum, tum Babyloniorum, atque in alios translatum fuit? Receſſurum autem, vel ipſe Ezechiel Propheta eo loco (*c*) indicat, ubi regnum Judæ, vel, urbem Hieroſolymam, viti alicui, plantatæ ſecundum aquas, frondoſæ atque fructiferæ, cum comparaſſet, tandem de Zedekia, ultimo Rege, loquens: „Sed, „ait, ignis exiens de ſcipione robuſto ramorum ejus, fru„ctum ejus conſumit, adeo ut non ſit in eo ſcipio robuſtus, „audite! virga dominatura.„ Et ſane Majeſtas tantum eſt poteſtatis *ſummæ*, ſumma autem vocari non poteſt, quæ aliis ſubjecta eſt. Et annon porro, poſtquam res, & Aſſyriorum & Babyloniorum, ad Cyrum, Perſarum Regem, devenerunt, proprio orbatus Sceptro, Juda aliud, Per-

(*a*) *Hebr.* 11. *v.* 21.
(*b*) Reiz. *ad Godwin. M. & A. L.* 1. *c.* 1. §. 16. *not.* 10.
(*c*) *Cap.* 19. *v.* 14.

Perſicum Sceptrum, venerari debuit? Doceat id vel ſolum, & quis ignorat? aureum illud, ſed tremendum, Ahasveri Sceptrum; (*a*) Ahasveri, qui, ut nos ſentimus, fuit celebris ille Xerxes, Darii Hyſtaſpis filius, terror Græcorum. Sic nec ſub Alexandri poſteris, ante Aſmoneos, Sceptrum habuere Judæi, & multo minus denique, ſub Romanis. Cum ſcil. & jam ante id tempus, quo natus eſt Chriſtus, a Pompejo devicta, immo in provinciæ formam redacta, & ipſo illo nativitatis Chriſti tempore, Imperatoris Auguſti Sceptro ſubjecta fuerit. Sed, quid audio, dicis, *Sceptro Auguſti?* Sic eſt, Auguſti Sceptro! Auguſtus eſt enim, cui, Bruto jam & Caſſio cæſis, Pompejo apud Siciliam oppreſſo, Lepido exuto, interfecto Antonio, aliisque ferocioribus per acies aut proſcriptione ſublatis, cum ſic jam ſolus imperii potens erat, cui per Legem, quæ in Libris Juris noſtri *Lex Regia* vocatur, ab ipſo S. P. Q. R. imperium ſolemniter datum erat atque delatum. Id quod nos alias latius & ex profeſſo, ut dicitur, vel commonſtraſſe, vel etiam demonſtraſſe, adhuc recte meminimus. Atque hæc quidem, ſine dubio, vera quoque ratio eſt, quod Auguſtus & ipſe, poteſtatis quoque ſummæ inſigni, Sceptro, inquam, uſus fuiſſe, legatur apud *Suetonium.* (*b*) Sed mirum hoc cuiquam videri poſſit, recordanti, Sceptrum proprie *Regum* eſſe inſigne, Auguſtum vero, tanquam ſub initium ſtabiliendæ Monarchiæ, omnia, quæ vel Regis, vel Regii aliquid ſapere videri poterant, diligenter ſolliciteque abnuiſſe atque declinaſſe. Verum non eſt hæc, quanta videtur, difficultas! Veluti enim Auguſtus, præter alia, libertatis quoque tempore nota, officia, ſæpiſſime quoque Conſulatum geſſit, ſic & hac in parte, atque hoc ſufficit! Princeps πολιτικωτατος dici poteſt, *Conſules* tantum imitari videri voluiſſe, quippe quos & ipſos, etiam liber-

(*a*) *Eſth. c. 4. v. 11, c. 5. v. 2, c. 8. v. 4.* (*b*) *in Galb. c. 1.*

libertatis tempore, Sceptro, ſive, Scipione eburneo, cui aquila ſuperimpoſita, uſos fuiſſe, res tralatitia eſt atque in vulgus notiſſima. Vetus Epigramma:

Conſulibus Sceptrum, menſis decus, arma tabliſtis.

Juvenalis: (*a*)

Da nunc & volucrem, Sceptro quæ ſurgit eburno.

Prudentius: (*b*)

Cum Conſulatum initis, ut vernæ ſolent,
Aquila ex eburna ſumit arrogantiam
Geſtator ejus, ac ſuperbit belluæ
Inflatus oſſe, cui figura eſt alitis.

Adeo, quod ad Auguſtum, de quo modo dicebam, ejusque Sceptrum attinet,

Non ſemper ea ſunt, quæ videntur, decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo.

Sed quid de Auguſto, ejusque Sceptro, loquor? Annon & in ipſo illo, in quo vivimus, Imperio, Romano, ut vocatur, Germanico, Sceptrum invenimus, Poteſtatis, immo Majeſtatis, Symbolum eminentiſſimum? Et quis noſtrum, potentiſſimum illum, primum e Germanis, Francicum quippe, Romanorum Imperatorem, Carolum M., ignorat? *Sceptrum noſtrum* (inquit ipſe, (*c*) apud Monachum Sangellenſem) *quod, pro ſignificatione Regiminis noſtri, aureum ferre ſolemus?* Filium quoque ejus, Ludovicum Pium, coronam auream auro fulgentem, & baculum aureum in manu tenuiſſe, ſcribit Theganus. Inter inſignia, quæ Conradus I., moribundus, Henrico Aucupi transmiſit, apud Luitprandum aliosque, Sceptrum quoque memoratur. (*d*) Et quam Sceptrorum divitem, ſimulque liberalem, oportet fuiſſe Fridericum I.? De quo

(*a*) *Sat.* 10. *vſ.* 43. (*b*) *Periſteph. Hymn.* 14. *vſ.* 146. *ſeqq.*
(*c*) Hert. *Notit. Regn. Franc. vet. c.* 4. §. 13. *Comment. & opuſc. Vol.* 2. *Tom.* 1. *p.* 372. (*d*) Struv. *S. I. P. c.* 8. §. 30. *not.* ***

Guntherus, prout verba jacent, Libro Sexto (*a*) Ligurini teſtatur, eum *frequenter & munera & Sceptra miſiſſe* Angliæ Regi, Henrico II., quem ſic ſcil. Imperatori ſcribentem introducit:

Gratulor, & noſtris merito congaudeo Regnis,
Cum tu cunctorum, quos cernunt ſidera, Regum
Maximus, & toto nulli ceſſurus in orbe,
Fœdera noſtra tamen, Regnique minoris, amico
Affectu non ſpernis opes, miſſisque frequenter
Muneribus, Sceptrisque, potens nos Rector honoras.

Verum enim vero, uti Guntherum hoc quidem loco in mendo cubare, atque, non *Sceptris*, ex ipſius ſententia, ſed *Scriptis*, ſive, literis ab Imperatore frequenter miſſis, honoratum fuiſſe Angliæ Regem, ex Radevico, tanquam ex ipſo fonte, non ita diu oſtendit Clariſſimus *Speciminis Guntheriani* Editor, (*b*) quem heic laudare, vel ipſius prohibet præſentia; ita rei, ſic nunc ſatis notæ, diutius immorari, ſuperfluum judico. At, quam conſpicua eſt tamen Imperatorii hujus Sceptri vis atque dignitas, vel in Feudis illis Eccleſiaſticis majoribus, quæ adhuc hodie, voce vernacula Latine reddita, *Sceptri Feuda* vocantur, eo quod inveſtitura de Regalibus, in iis per Sceptrum fiat, vel, facta fuerit. Olim Imperatores, veluti alios Principes, vi ſummi imperii, ipſam quoque dignitatem Eccleſiaſticam contuliſſe, & Epiſcopos aliosque Prælatos inveſtiviſſe atque conſtituiſſe, non eſt, quod multis probare debeam. Ipſum illud Gratiani, Monachi Bononienſis, a Gregorio XIII. Pontifice Summo, confirmatum decretum, memorabilem nobis Canonem (*c*) reliquum fecit, ubi ipſe Hadrianus Papa, cum univerſa Synodo, dicitur, poſtquam Longobardorum Regnum ad Carolum M. perveniſ-

(*a*) *v.* 188 *ſeqq.*
(*b*) Jo. Hild. Withoff, Collega noſter, *Specim. Emend. ad Gunth. Ligur. p.* 157. *ſeqq.* (*c*) *Diſt.* 63. *can.* 22.

veniſſet, & præterea Imperium in Urbem Romam & alias Italiæ Provincias ei deferretur, ipſi Carolo quoque, tamquam jus Regium, *tradidiſſe*, (auditis ipſa verba!) *vim & poteſtatem eligendi Pontificem: inſuper Archi-Epiſcopos & Epiſcopos, per ſingulas provincias, inveſtituram ab eo accipere, definiviſſe; & ut, niſi a Rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, a nemine conſecraretur.* Porro cum Ottonis M. tempore, Epiſcopis ſecularis quoque poteſtas & Regalia attribui cœperunt, cui rei occaſionem dediſſe videri poteſt, accepto Lotharingiæ Ducatu, ipſe Ottonis M. frater, Bruno, Epiſcopus Colonienſis, ab eo tempore, non ſolum illis officium Epiſcopale & dignitas Eccleſiaſtica, ſed poteſtas quoque ſecularis, & Regalia, ab Impp. collata ſunt. Teſtis ſit iterum, quem modo citabam, Gratianus noſter, in Decreto, (*a*) referens, ad exemplum Hadriani Papæ, Leonem VIII. cum toto Clero atque populo, contuliſſe, ſcil. tamquam jus ad Regem conſtitutum pertinens, Ottoni I. Regi Teutonicorum ejusque ſucceſſoribus Regni Italiæ, facultatem eligendi Pontificem, nec non, inveſtiendi Archi-Epiſcopos & Epiſcopos. Verum, quæ poſtea accidit mutatio, fatalibus præcipue Henricorum IV. & V., nec non Pontificum Gregorii VII. & Paſchalis II., temporibus adſcribenda eſt; Tum enim ab horum parte urgebatur, *nec poſſe*, (*b*) *nec debere dari, per virgam vel per annulum, Epiſcopatum vel aliam Eccleſiaſtici juris inveſtituram, a laicali manu; Et, quicumque Epiſcopatum, vel inveſtituram talem, acceperint, excommunicandos*, vel, ut in Concilio Tridentino (*c*) dicitur, *non per oſtium ingreſſos, ſed fures & latrones habendos eſſe.* Egregie vero, ſi Dis placet, & juri convenientiſſimum! Quid? an non ipſa potius ſana ratio docet, niſi bicipitis, quale hominis,

(*a*) *d. Diſt. 63. can. 22.*

(*b*) Ex Sigeberto Gemblacenſi, Struv. *S. I. F. cap. 3. aph. 7. num. 4.* & Struv. filius *S. I. P. cap. 10. §. 21.* (*c*) *Seſſ. 23. c. 4.*

ſic Reip., monſtrum ſtatuere velimus, penes quem in Republ τὸ κύριον eſt, penes eum omnes Reipubl. partes eſſe debere? Ita, ut veriſſimum ſit, quod ille, (*a*) monſtrum & ipſe cæteroquin Imperatoris, dicere ſolebat, εἷς κείραννος ἔγω, εἷς Βασιλεύς! An putamus autem, A.A., hiſce ſimilibusque Papæ forte objectis, eum a ſententia ſua ſeſe dejici paſſum fuiſſe? Nequaquam. Maluit fideliſſimus animarum Paſtor, omnia mundana contemnere ſuos, quam ut, legitimam adgnoſcentes poteſtatem, a pedo aberrarent ſuo; id eſt, maluit Paſchalis cum Henrico V. conventionem inire, vigore cujus Epiſcopi, aliive Prælati, Ducatus, Marchias, Comitatus & Regalia dimitterent, modo Imperator viciſſim Pontifici inveſtituras Eccleſiaſticorum cederet. Quam conventionem quum poſtea implere non poſſet Pontifex, eo quod turbas moveret Clerus, territoria, nec mirum! atque Regalia dimittere recuſans, Imperator quidem inveſtituras Epiſcoporum rurſus exercere cœpit, cujus rei, ne alia nunc adducam, exemplum unum dabit Chronicon Citizenſe (*b*) Pauli Langii Monachi, in perſona Rokardi Archipræſulis Magdeburgenſis; ſed novis tandem litigiis ortis, cum & Imperium in ſe attritum, &, propter anathema, a ſe deficere videret, Patrisque metuens exemplum, congregato, anno ſupra mileſimum centeſimo vigeſimo ſecundo, juxta Wormatiam maximo Principum conventu, inveſtituram tandem Eccleſiaſticam Pontifici Calixto II., ſive, Legato tum temporis Sedis Papalis Lamperto, qui poſtea ſummus Pontifex & ipſe factus Honorius dictus eſt, reſignavit, ſolam ſibi inveſtituram de Regalibus, Sceptro, ut ſupra dixi, expediendam, reſervans. Ubi illud tamen ſimul Imperatori conceſſum fuit, ut, ſi forte in eligendo partes fiant,

(*a*) Caligula, ap. Sueton. *in vit. ejus c.* 22.
(*b*) Apud Jo. Piſtorium *Rer. Germ. Script. Tom.* I. *p.* 1153.

fiant, Imperatoris arbitrii ſit, Epiſcopum, quem voluerit, ex Primatum ſuorum conſilio petere.

Hoc etenim ſibi jus collatum a Præſule ſummo,
Rege ſub Henrico, teſtatur Curia, Quinto;
Ut, ſi forte novo certat de Præſule ſedes,
Nec valet impoſito ſopiri ſine querela,
Debeat ipſe ſuas mox interponere partes,
Arbitrioque ſuo Paſtorem ponere ſedi;
Nec prius electum quemquam de jure ſacrandum,
Quam Sceptro Princeps Regalia præſtet eburno.

Audiviſtis, de conventione hac, Imperatorem inter atque Papam inita, elegantiſſimi, quem ſupra laudabam, Guntheri verba, e Ligurini Libro primo. (*a*) Qui tamen in eo, quod dicit, Sceptro *eburno* Principem Regalia præſtare, ſine dubio vel erravit, vel licentia poëtica abuſus fuit; Siquidem conſtat, Imperatores Sceptro uſos fuiſſe, non eburno, ut Romani olim, ſed aureo, vel argenteo. Rem claram faciet vel ſolum *Imperii* illud *Sceptrum*, quod adhuc hodie, cum pluribus aliis Imperii inſignibus, Noribergæ adſervatur. Et ecce! (*b*) ibi, Sceptrum Imperiale, ingens, argenteum, leviter inauratum. More vulgatorum Sceptrorum, ornatu deſtituitur, in ſummitate tantum folia querna ſex habens, quorum tria per alternationem ſurſum, totidem deorſum vergunt, deſinitque in querneam glandem. Ex qua deſcriptione ſimul adparet, facere nos quoque cum illis non poſſe, (*c*) qui Imperii Sceptrum hoc, ipſummet eſſe, putant, *Caroli M. Sceptrum*, quippe, quod non argenteum, ſed aureum fuiſſe ex ipſiusmet ore audivimus ſupra; ut proinde non minus exceptio, ad quam confugere quis forte poſſet, *aureum* quoque de *inaurato* dici, nihil efficere poſſit; cum oſtendi prius deberet, Caroli M. Sceptrum tantum inauratum fuiſſe.

(*a*) *vſ.* 564. *ſeqq.* (*b*) Struv. *S. I. P.* 1. 8. §. 30.
(*c*) v. Struv. *d.* §. 30. *not.* ***

Accedit, quod Caroli M. Sceptrum cum ipſo Carolo ſepultum fuit, veluti Ademarus in Chronico teſtatur, Ottonis III. temporibus, qui tumulum ipſius aperiri fecerat, & Sceptrum ejus ibidem repertum fuiſſe; ut taceam nunc de uſitato cætroquin, haſtas quoque cum defunctis ſepeliendi, more; neque dicam, in hiſtoria Ludovici Pii non memorari, Sceptrum tale ipſi fuiſſe traditum. Aliud igitur confectum eſſe oportet; a quonam vero Imperatore, meum non eſt dicere. Utcumque erit, hoc idem illud Sceptrum eſt, quod, tum in Coronatione Imperatoris, præter alia adhibenda ſolennia, Conſecrator Imperatori in manum dextram tradit: Hoc idem illud *Sceptrum*, quod in omni ſolemni Curia, ſive, Proceſſione, Imperatori præfertur. Et ecce! (*a*) veluti in ſolemnibus Coronationis, Pomum Imperiale, a Conſecratore ſibi traditum, ſecundum Auream Bullam, Electori Palatino reddit Imperator; Enſem vero, ſimiliter traditum, Saxoni; Sic, in proceſſione, Palatinus, vel nunc Bavarus, Pomum Imperiale, Saxo Gladium Imperatori præfert. Sed quis ille eſt, AA., quis ille eſt, cui Sceptrum redditur? Quis ille, quis ille, ad dextram Palatini, vel Bavari, qui Sceptrum Imperatori præfert? Mihi certe, quo minus dignoſcere poſſim, vel Sceptri fulgur, vel ipſius ſanctitas perſonæ, oculos fere obfuſcat. Adgnoſco tamen, adgnoſco! Eſt Sereniſſimus, o! lætum atque auguſtum nomen, Sereniſſimus atque Potentiſſimus Elector Brandenburgicus. Et jam recordor, hunc, hunc eſſe, cui, vi Archi-Camerariatus ſui, jus hoc, & in omnibus quidem (*b*) indiſtincte Imperii Civitatibus, jus hoc, Sceptrum Imperatori præferendi, ex Aurea Bulla, ſoli competit. Et quam admirabile eſt, atque notatu dignum, inter omnes

(*a*) Kemmerich. *Introd. ad I.P. L.3.c.2.§.26. L.4.c.6.§.27. & c.12.§.3.*

(*b*) vid. de Ludewig. *ad A.B. tit.22.§.3. lit.x.* Struv. *S.I.P. cap.9. §.26. & Corp. Hiſt. Germ. Tom.1.p.622. §.15.*

omnes Imperii Archi-Officiales, ſoli Familiæ Brandenburgicæ Sceptrigeri dignitatem commiſſam fuiſſe! Reſpexit ſine dubio Imperium ad Potentiam Sereniſſimæ illius domus, atque, ut verbis Viri Clariſſimi (*a*) utar, *potentiæ ſuæ Symbolum illis voluit commendare Principibus, quorum robur atque fortitudo conſilio temperata, quorum virtus bellica, civili prudentia ſuſtentata, & hoſtilem vim abarceret, & eorumdem artes ac dolos prævideret atque fruſtraretur.* Verum, quam belle ſimul & hic in humanis rebus luſiſſe, dicemus, Divinam Providentiam! Eſt hæc ſcil. eadem domus illa Brandenburgica, cui, præter Electorale Sceptrum, Regium quoque Sceptrum deſtinaverat Ille, cujus eſt unice, coronas atque Sceptra diſtribuere. Sic eſt, deſtinaverat Summum Numen, atque in plenitudine temporis effecit, tum, tum, quando Uncto ſuo, Glorioſiſſimæ memoriæ FRIDERICO, Boruſſici Regni Sceptrum in manus tradidit: FRIDERICO, Auguſtæ proli magni illius FRIDERICI WILHELMI, ſub cujus auſpiciis, ante integros hos nunc octoginta annos elapſos, in hac Urbe, hæc quidem bonarum artium officina primum aperta fuit; cui primo quoque, utrumque hoc, quod coram cernitis, Sceptrum, hæc debet Academia. Et permitte mihi nunc, Paterni atque Aviti Sceptri hered digniſſime, Potentiſſime FRIDERICE WILHELME, Rex ac Domine noſter longe clementiſſime, permitte, ut, in publica hac panegyri, Sceptrum tuum pronus atque humilis exoſculer. Non eſt hoc ſcil., quale Perſarum Regum, horribile atque tremendum Sceptrum: immo eſt horribile atque tremendum, ſed improbis atque maleferiatis, ſed hoſtibus atque inimicis tuis! De cætero, comparo illud clementi atque feliciſſimo Auguſti Sceptro, Rex auguſte, Rex feliciſſime! Quotiens prudentiſſimos illos, quorum vel Sagi, vel Togæ tempore, uteris conſilio, Miniſtros, tam-

(*a*) Jac. Tollii *Adlocut. p.* 8.

tamquam totidem (dicam verbis Prophetæ Jeremiæ) (*a*) virgas vigilantes, conſidero, jam certe Sceptrum tuum, tamquam Sceptrum multis oculis plenum, immo tamquam πολυοφθαλμε Oſiridis Sceptrum, (*b*) contemplari mihi videor. Sed ſi tuam ipſius in cognoſcendis rebus perſpicaciam, inque exequendis negotiis celeritatem viresque; jam quidem Aquilam, non Romanam, ſed propriam tuam, Boruſſicam aut Brandenburgicam, immo, quam vel ipſi Imperio imputare poſſit Domus Tua, bicipitem Aquilam, Sceptro tuo impoſitam, videre videor. Quotiens Te, tamquam caſtiſſimum Divini Numinis cultorem conſidero, tamquam fortiſſimum Relligionis atque Sacrorum vindicem adſertoremque, jam, jam, Sceptrum tuum mihi vera Moyſis ad cœlum erecta virga (*c*) videtur, immo, quod ſub cœleſti Archi-Epiſcopo geris, ſumme in hiſce terris Epiſcope noſter, mite quoddam boni paſtoris pedum. Quotiens autem validiſſimas illas copias, quas vel ipſiſſimis hiſce temporibus, pro ſalute Imperii, educis, Imperii Sceptriger, easque ſimul, quibus Præſidia atque Munimenta finium tuorum provides, jam, jam, in Sceptro tuo Herculis quamdam clavam adgnoſco, immo, in ſubjectos gigantes fulmen intorquentis cupreſſinum ipſius Jovis Sceptrum. (*d*) Sed ſi Te denique, Heros invictiſſime, tamquam indulgentiſſimum Muſarum patrem conſidero, qui &, mediis in armis, artes liberales, Scholas, Academias, foves, nutris, protegis; jam iterum Sceptrum tuum, verum mihi Apollinis Sceptrum (*e*) videtur. Teſtis ſit vel hic ipſe dies, hæc ipſa, qua loquor, hora; ubi, cum tot Provincias, Regiones, Urbes, hoſtili ferro, flamma, vaſtatas, aut vaſtari videmus, Tuum quidem, Tuum a Deo benedictum Sceptrum, nobis in hoc Parnaſo noſtro

(*a*) *Cap.* 1. *v.* 11. vid. Saavedr. *Symb. Polit.* 55. *p.* 449.
(*b*) v. Pomey *Panth. Myth. p.* 280. *ſeq.* (*c*) *Exod.* 17. *v.* 9. & 11.
(*d*) Pomey *Panth Myth. p.* 10. (*e*) Rhodigin 7. *Lect. Antiq.* 29 *p.* 383.

itro adhuc otiari, cum Muſis agere, immo ſub vite atque ficu noſtra vivere, permittit; Tu, dicemus,

Tu bella, (a) PRINCEPS, inter, & aſpera
Virum arma, menti templa foves bonæ,
Martique conjungis Minervam
Et profugas Helicone Muſas.
Te Francofurtum, gurgite proximo;
Te Mons Boruſſus, Saxaque Regia;
Te Teutoburgum, Salanæque
Munificum celebrant Camenæ.

Et hæc ſunt quidem, AA. O.O. H., quæ, pro ratione temporis, ſic breviter habebam dicere. Dixi, nec pœnitet dixiſſe. Immo nondum dixi. Neque enim diſcedere hinc poſſum, niſi prius Tibi, Academiæ CURATOR, Vir Ampliſſime, tum & Vobis, quotquot præterea adeſtis, omnium ordinum, graduum ac dignitatum, AUDITORES, Cives, Hoſpites, Fautores, Amici, gratias agam pro honorifica, qua diem & actum hunc condecorare voluiſtis, præſentia: ago autem & meo, & Academiæ nomine, quas poſſum, maximas.

Niſi & in ſpecie Te primum compellem, Academiæ nunc PRO-RECTOR, Vir Maxime Reverende. Gratias Tibi habeo, quas poſſum maximas, pro eo, quo me beaſti, honore, qui me in Munus, ab Ampliſſimo Senatu mihi collatum, tam ſolemniter, nec ſine benevolentiæ conteſtatione, immittere haud dedignatus fuiſti. Gratulor ſane hac de re impenſe mihi, qui, non ſine animi voluptate recordor, Te, Te, eſſe quoque, qui, ante elapſos hos nunc fere 14. annos, e Regio Lingenſi Athenæo ad Illuſtrem Scholam Hammonenſem evocatum, nomine Senatus Scholaſtici, in Profeſſorium me Munus tum temporis

(a) v. Francii *Poëmat. edit. alt. p.* 315. ubi tamen, uno mutato vocabulo, & quartæ, poſtea erectæ, Academiæ Regiæ ſimul meminimus.

immiſeris. Gratulor mihi, cui amicum, quicum ego, a mea quoque parte, quantum ſcio, incorruptam hactenus colui amicitiam, in hoc, nunc provectioris ætatis, vigore, adhuc conſpicere contingit; veluti & Tibi de hoc Dei beneficio, & ſpeciatim quoque, de Rectoratu ſic feliciter depoſito, ex animo gratulor.

Sed & Tibi, & Vobis, omnium Facultatum PROFESSORES Excellentiſſimi, Collegæ honorandi, plurimas gratias habeo, qui communibus calculis veſtris Magiſtratum hunc mihi conferre haudquaquam dubitaviſtis. Si ad onus, ut in aliis, ſic certe in hac quoque Academia, huic Muneri conjunctum, reſpicere licuiſſet, ego quidem, ex animi ſententia loquor! lubens illud deprecatus fuiſſem; Verum nec ætas mea patiebatur, aliquod pro Rep. onus defugere, nec amor ille, quo ſum erga Academiam, quam *Patriam* jure vocare poſſum, quam & Parens olim noſter eruditione ac diligentia ſua celebriorem reddidit, & cujus Curam quoque Avus noſter, *Arnoldus Gisbertus Pagenſtecher*, geſſit, eo tempore, quo, nomine Sereniſſimi Electoris, apud Aulam Palatinam reſidebat; tum denique, nec tam iniquus ſententiæ de me veſtræ æſtimator eſſe debebam. Igitur nunc, Sceptro fretus Divinæ potentiæ, quod felix fauſtumque ſit! Munus hoc in me ſuſcipio; illud quidem enixe rogitans, ut ope, conſilio, &, quod majus mihi eſt, candore & benevolentia, ne umquam mihi deeſſe, ſed, quem ipſe in me deprehendo, pro tuendo decore Sceptri, Zelum vel ſic potius adjuvare, immo excitare velitis.

Vobis autem, Ornatiſſimi Juvenes, ingenuum STUDIOSORUM ſanguen, quid eſt, quod, ſub auſpicium Muneris mei, vobis præcipue proponam, quam ipſiſſimum, quod coram cernitis, utrumque Sceptrum illud? Eſt hoc, ut audiviſtis, Juſtitiæ ſimul, ac Poteſtatis Sceptrum; neque ſane, penes me, vel, Ampliſſ. Senatum ſtat,

pa-

pati, quo aliquid contra decus ejus admittatur. Verum ego quidem, ita exaudiat Deus votum meum! omnia bona mihi de vobis polliceor: Et ſic idem hoc Sceptrum, Vobis, o, Mei! verum amoris erit atque caritatis Sceptrum.

Aſt, ut ad Thronum tuum denique adrepat Oratio noſtra, cœleſtis Sceptriger, DIVINE JESU,

Qui terram inertem, qui mare temperas
Ventoſum, & Urbes, regnaque triſtia,
Divosque, mortalesque turbas
Imperio regis unus æquo;

Tibi primum immortales gratiæ debentur, qui diem hunc, Academiæ nunc octogeſimum, in hac adhuc benedictione illuceſcere feciſti: O! utinam idem, & mihi, & Academiæ, nobisque omnibus, in Gratia tua illuxerit! Aperti ſint, precor, oculi tui ſuper hanc *Kiriath-Sepher*, noctes atque dies. Adeſto tu nobis, in conſiliis noſtris præſens atque præſidens Numen. Fac, ut, qui in hoc horto inſtituuntur, ſurculi, tamquam vera manuum tuarum plantatio, feliciter ſuccreſcant in Scipiones, Eccleſiæ olim atque Reipubl. utiles futuros. Conſerva nobis, quibus tum Academiæ Cura, tum harum Terrarum Regimen commiſſum eſt. Conſerva ipſum Regem, Glorioſiſſimum FRIDERICUM WILHELMUM; Fac, ut dum Aquila illa ad Te, o! Sol Juſtitiæ, evolat, ea & illuſtretur radiis tuis & refocilletur identidem; dumque nidum ſuum in rupe ponit, in Te, o! Salutis petra, hinc hinc illa, tuta atque ſecura, longe lateque Sceptrum ſuum vibret in præſidium atque tutelam tuorum. Sic rege, ſic dominare in nobis, Rex Regum, Domine Dominantium; in Nobis, veluti in univerſo, qui Sceptro tuo homagium præſtitit, populo tuo. Usque dum, & tu ipſe olim Sceptrum Patri tuo redditurus es, atque ſic Deus erit omnia in omnibus!

D I X I.

Non ſoLVM In terrIs hIs VIVere, ſeD reCte VaLere,
Vera VIta eſt:

MagnIfICVs reCtor VIgeat VIVatqVe VIgenDo!

NEMPE VIR

Nobiliſſimus, Conſultiſſimus & Clariſſimus

HENRICUS THEODORUS PAGENSTECHER.

QUum Tu MAGNIFICI caperes RECTORIS Honorem,
De SCEPTRO dulci flumine Sermo fuit.
Sunt MAJESTATIS præluſtria ſigna, potenti
CÆSARIS ac REGUM SCEPTRA vibrata manu.
Auctores pariter ſacros pariterque profanos,
Ingenio felix, hoc docuiſſe, doces.
Et nunc, cum geminis fulget tua gloria SCEPTRIS,
Muſarum REGEM Te vocat æqua Themis.
Gratulor hocce Decus! Te Commoda multa ſequantur,
Tempore, quo RECTOR SCEPTRA ſacrata geres.
Interea noris, miſceri gaudia curis:
Miraris; REGES aurea SCEPTRA premunt!
Ut roſa cum ſpinis, florum REGINA coruſcans
Naſcitur, & melli ſpicula jungit apis:
Sic etiam SCEPTRIS nec Honor, nec plena Voluptas,
Dum ſumus in terris abſque dolore venit.
EASCES ſunt faſces, ſubeuntque palatia REGUM:
Nec datur ullus Honos, quin comitetur onus.
Ergo obrepentes heroo pectore curas,
Concoque: nempe DEO PRÆSIDE Victor eris.
AnnVs onVsqVe rVVnt, perſtant reCtorIs honores:
SIt ſoLI Vero gLorIa prIMa Deo!

WILH. NEUHAUS, SS. Theol. D.
& Prof. Ord. h. t. Acad. Prorector.

CELE-

CELEBERRIMO VIRO,

HENRICO THEODORO PAGENSTECHER, A.A.F.

IN ILLUSTRI, QUÆ DUISBURGI AD RHENUM FLORET,

ACADEMIA JURIS PUBLICI ET PRIVATI ANTECESSORI CLARISSIMO, &c.

FASCES ACADEMICOS SUSCIPIENTI, FELICITER.

ΑΡΧΗ, ΘΕΟΥ ΔΩΡΟΝ.

FALLOR, an insigni præludens Fama triumpho
Dat laureatas Rheno ab ipso literas?
Ales an astrigeris, dum transit Phocida, pennis
Ingens honoris nuncium adfert Pegasus?
Sic erat. Ille, Patri magno non degener hæres,
Quô Linga quondam, Hammona quô stupuit prius,
Ille, ab Alexandro lux altera, ritè sacratum,
Probante Regis ore, sceptrum susscipit;
Magnifici titulos dum fert Rectoris, ovante
Docto Senatu, Juris Antistes sacri.
Sic sua Virtuti stant præmia! Scilicet, ante
Summo Parenti sancta quos dederat Themis,
Hos eadem claro insignes Academia fasces
(Felicitas quæ rara!) defert Filio.
Quemque prius Tacito jam Luppia notus & Assa,
Celebrant beatæ nunc vireta Cliviæ.
Inde sibi lætos Urbs augurat ipsa triumphos,
Tot literatis digna Prælectoribus,
Mœnia qua, proavis jam pridem cognita, Rhenus
Rhuræ propinqua, rex bicornis, alluit.
Quid mirum, tanto si nunc speciosa paratu,
Jussu Senatus inclyti, hunc celebret diem,
Aurea quo clarum regno, plaudente corona,
Albis quadrigis Fama subvehet Virum?

Quo feror? ipſa Themis, dum ſceptrum tradit ovanti,
Templo ſacra e Cephiſio hæc vates canit:
Ecce, novi redeunt faſces, nova purpura fulget,
Eburque honore ſplendet inclytum novo!
Macte animis, THEODORE! piis Deus ipſe miniſter
Hæc dona juſtis deſtinat laboribus.
Aurea Magnifico jam Te Rectore renaſci,
Ut alma fert Aſtræa, cerno ſæcula!
Quum Te, nobilium docto comitante Virorum
Juvenumque cœtu, in aſtra tollet Pegaſus:
Pegaſus, æterno fulgens, qui ſidera dudum
Inſigne Gentis eſt PAGENSTECHERIÆ.
Hinc Romana, ferox fluvio, qui jura recepit
Rhenus, potente Cæſarum victus manu,
Nunc ſua, Cæſareas tollens ſuper æthera Leges,
Antiqua, Te docente, Jura proferet:
Donec ad Oceanum, quo dicitur Amnis, habebit
Te clara Lugdunum, caput Germaniæ.
Salve ſancta dies! priſcos ſic Roma Metellos,
Sic Lælios, ſic Scipiones edidit.
Serus ad Erigonen redeas, Clariſſime Ductor!
Tui unde diſcant Jus PAGENSTECHERIUM.
Hæc Themis: aſſenſit doctarum turba Sororum:
Oraculum favens Apollo comprobat.

Vir Clariſſimo
L. M. Q. P.

MDCCXXXV.
Kalend. Octobr.

BERNHARD. PAGENSTECHER,
Gymn. Alcmar. Rector.

Ad

Ad Virum Excellentisſimum ac Nobilisſimum,

HENRICUM THEODOR. A.A.F. PAGENSTECHERUM,

JURIS UTRIUSQUE DOCTOREM ET PROFESSOREM CONSULTISSIMUM;

Plurimum Reverendo & Celeberrimo

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSORE

GULIELMO NEUHUSIO,

MAGISTRATU ACADEMICO ABEUNTE;

REGIÆ ACADEMIÆ TEUTOPOLITANÆ

RECTOREM MAGNIFICUM

cIↃ IↃ cc xxxv. IDIBUS OCTOBRIS

CREATUM.

* * * * *
* * * *

Teutopoli caſtis quæ conſecrata Camenis
Templa Minerva petens, cathedra reſidere, diſerto
Clarorum ſolita ſermone ſonare Virorum,
Ut videt Aſtræam, valvarum limine mirans
Subſtitit, & dictis reducem compellat amicis:
Vah! repetis terras, terras, Dea cara, reviſis?
Unde genus mortale vafra levitate dolisque
Propulerat cæſam, multoque cruore madentem.
Cujus Te cœlo pietas revocavit ab alto?

Taia

Talia quærenti placido juſtiſſima vultu
Hæc Aſtræa refert: Patri dilecta Tonanti,
Me probitas, me priſca fides, me candor honeſtus
PAGENSTECHERIDÆ ſupero detraxit Olympo.
Hic magno genitore ſatus, memorata per orbem
Cujus ſcripta terunt Prudentes, flumine rauco
Qua Duriusque Padusque ſtrepunt, qua Sequana, quaque
Rhenus inundat agros, Savus & qua confluit Iſtro.
Huic tanto ſimilis Patri, ſanctiſſima pandens
Jura, nefas technasque fugat pulſæque reducit
Juſtitiæ decus, & violatum vindicat æquum.
Hic, *Spormacheri dudum quod cura ſpoſpondit,
Officium præſtans læſam curatque fovetque.
Hoc ego Magnifico celebris Rectore Lycei,
Urbe quid in placida fraudes cædesque vererer?
Ipſa pari tecum moderabor, Ithonia Pallas,
Artibus ingenuis operantem numine cœtum.
Vix ea fata, ſacram, docta comitante caterva,
PAGENSTECHERIDES greſſum deflectit in arcem.
Utraque ſe ſociat gradienti Diva, ſacrata
Utraque ſede locat: ſed porrigit altera faſces;
Altera lapſurum ſpondet feliciter annum.

* Steph. Nathenius, agnomine Spormacher, J. U. D. librum, folium in quatuor complicantem, Coloniæ Agrippinæ MDCXLVI. edidit, hac inſcriptione: Juſtitia vulnerata Chriſtiane, Juridice & Politice curata.

HENR. THEOD. HEYMANNUS,
Scholar. Hammonenſium Rector.

GRA-

Digitized by Google

GRATULATIO
Qua
MAGNIFICOS
ACADEMIÆ DUISBURGENSIS FASCES
A Viro Celeberrimo & Conſultiſſimo Domino,
HENRICO THEODORO A.A.F.
PAGENSTECHERO,
JURISCONSULTO, ET ANTECESSORE, h.t. Fac. Jurid.
DECANO,
Rite ſuſceptos Anno clɔ Iɔ cc xxxv. ipſis idibus Oct.
Proſequitur,
Annexis quibusdam Veterum Scriptorum
EMENDATIONIBUS,
JOH. HILDEBRANDUS WITHOFIUS,
Hiſtor. Eloquent. & Gr. Ling. Profeſſor, h.t. Philoſ. Fac. Decanus.

* * * * *
* * * * *

ODA.

En Tuæ noſtri regimen Lycei
Cedit, & Sceptri pia cura dextræ,
Gentis o doctæ, celebrisque dudum
Nobile ſidus:
Cum tuis certans tot avita Patrum
Rite Germanis, THEODORE, geſta,
Tot tropæorum titulos veterno
Perdere nullo.
Culte Vir nobis ſimul & colende,
Seu pares vitæ reminiſcar artes,
Seu diu junctas ſine litis ullo
Frigore mentes.

Sceptra jam fatis agedum ſecundis,
Quæ Tuæ dotes meruere, ſumens,
Et Camœnarum renovata præſtans
Otia caſtris,
Nomen, & laudes cumulans priores,
Qua cadit Phœbus, juga qua reverſus
Aureo curru Nabathæa pingit,
Porrige lucem.

Floreat tanto Duce gratulantum
Turba Muſarum, Charitumque Triga,
Quem vel audito celebrare poſſint
Nomine ſolo.
Proſperes at tu pia cæpta, quæſo,
Et novos anno parias honores,
Dente quos nullo, Deus alme, carpat
Sera Vetuſtas.

Summe terrarum Moderator, adſis,
Meta dum primi prope raſa ſecli
Curribus noſtris, obeunda feſto
Non ſine cantu.
Jam nova lauru pia Literarum
Cinge maternum caput Officina;
Tuque, Dusburgum, melioris omen
Accipe ſortis.

Orbis annorum trepidare centum
Magnus ad finem tacite laborat,
Pacis & belli gravis, aleæque
Conſcius omnis.
Seculo fauſtam, DEUS, adde metam,
Fac & annorum novus inchoetur
Ordo; fac felix oriatur ætas
Sidere læto.

Iſta

Iſta dum fiant, novus Hoc regente
Jura procedat, meliorque ſemper
Annus in ſerum ſubiturus ævum
Gaudia donet.

Eruditorum Sapientiumque
Nemo, ſi quisquam ſapiens ſuperſit
Orbe vel dici queat eruditus,
Te ſine ſolo
Nomen & tantos poterit tueri
Elaboratos ſibi difficulter
Invaleſcentis titulos honoris,
Et decus altum.

Bardus ex docto, ſapiente ſtultus
Redditur lucem ſine te perennem
Dante, tu cujus pia cauſa ſolus,
Solus origo es.

Ne, precor ſupplex, retrahas ſerenam
Teutoburgenſi faciem Lyceo:
Ne tui ſudum minuatur unquam
Mite favoris!

Ne ſacram nobis patiare lucem,
Fulgidæ ſparſam face Veritatis,
Surripi; nubes nitido ſed omnes
Sole repellas.

Omnis hinc ceſſet maleſanus Error,
Et, genis cujus macies adeſis
Prodit internas per aduſta flammas
Pectora, Livor.

Suſpicax pravi nimium Simulras
Hinc procul noſtris eat exul oris;
Litium nutrix eat eminendi
Dira Libido.

Omnis hinc Faſtus, Tumor omnis abſit
Inquinans mentes ſtolide viriles,
Et Cavillorum, leviumque Fraudum
Sordida turba.
Diſcolor menti facies, & atrum
Melle ſub dulci latitans Venenum
Ceſſet, & diro ſale Lucianus,
Porphyriusque. (*)

Caſtra

(*) Meminiſſe potes, Vir Magnifice, alludere nos voluiſſe ad locum JULII FIRMICI MATERNI *de Erroribus Profanar. Relig.* de quo nuper pro amicitia noſtra ſermones cædebamus, cujus emendationem Tibi cum aliis quibusdam a me tunc propoſitam vehementer arridere aperte & ſine livore, qui in elegantem indolem non cadit, declarabas; eam vero cum Tibi cum quibusdam reliquis tunc ſimul enarratis dedicaverim, huc ex *Crucibus* meis *Criticorum*, arduo ſane Opere, cui deſcribendo nunc, ut ſcis, ipſa neceſſitate nimirum ita flagitante, inſudo, decerpam, idcirco maxime, quia eodem illo tempore, quo notata iſta in ordinem ſuum redegeram, præſentiæ Tuæ honore fruebar. Eſt vero locus ille apud *Firmicum Matern.* ex Editione Jac. Gronovii, qui eum Minucio ſuo Felici adjecit, p. 432. & ſic habet: *Nihil enim operantur animæ, & cruor ex aſſidua pecudum cæde profuſus, niſi ut dæmonum ſubſtantia, qui Diaboli procreatione generantur, ex iſto ſanguine nutriatur. Nam ita eſſe Porphyrius defenſor* Stoicorum, *hoſtis Dei, & veritatis, in multis ſceleratarum impietatum ſcriptis manifeſtis nobis probationibus prodit. In libris enim, quos appellat περὶ τῆς ἐυλογίων Φιλοσοφίας majeſtatem ejus prædicans, de infirmitate confeſſus eſt. In primis enim librorum partibus, id eſt, in ipſis auſpiciis poſitus dixit: Serapis vocatus, & intra corpus hominis collocatus talia reſpondit.*

Appoſui locum totum. Agit ibi Firmicus de Ægyptiis Sacris, & de idololatrico cultu Alexandria in alias orbis partes diſperſo, ut ipſa verba indicant. Sed cur hic Porphyrius dicitur *defenſor Stoicorum*? neque enim conſtat, eorum cauſ-

ſam

Caſtra nec vecors Odium canino
Noſtra latratu ſtrepituque turbet;
Quisque ſed Phœbo duce mitigatus,
Auſpice Phœbo,

Stre-

ſam tam graviter egiſſe Porphyrium. Deinde, quid hoc ad locum præſentem, ubi de Ægyptiis & Alexandrinis ſacris, nullus autem de Stoicis ſermo, qui cultum imaginum & idolorum, de quo hic agitur, ne magnifacerent, vel ipſius Philoſophiæ ſuæ principiis impediebantur, & potius ſe ipſos idola quædam facere annitebantur. Vidit hoc merito objici poſſe J. Frid. Gronovius, qui idcirco Obſervation. Eccleſ. c. IX. circa finem hic in Firmico corrigit *Porphyrius defenſor idolorum.* Hæc quidem mutatio eſt nimia, & ſatis præter cauſſam audax, a Viro alios a temeritate ſollicite deterrere ſolito profecta, Quid tum? inquis; ſcis meliora? Scio, inquam, & dico, ac doceo ſcripſiſſe Firmicum minima mutatione, quod maxime ad præſentem de Sacris Ægyptiis cauſam facit: *Nam ita eſſe Porphyrius defenſor* Iſiacorum, *hoſtis Dei, & veritatis, in multis ſceleratarum impietatum ſcriptis manifeſtis nobis probationibus prodit. In libris enim quos appellat περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας, majeſtatem ejus prædicans de infirmitate conjeſſus eſt &c.* Hæc ſola veraque fuit Firmici ſcriptura; in qua vides, quam mutatione facili aberraverint librarii Veteres, qui τὸ *Stoicorum* nobis obtruſerant. Certe ſi Pythagoricorum, aut Pythagoræ defenſorem vocaſſent Porphyrium librarii, tolerari potuiſſent aliquatenus, cum ejus vitam ſcripſerit. Sed idem quin de Ægyptiis Sacris ſcripſerit, ac potiſſimum Iſidis ac Iſiacorum cauſam egerit, vel ob hunc ipſum locum dubitari nequit, ac præterea ex iis ſcriptis colligi poteſt, quæ Joh. Albert. Fabricius Vir Cl. Lib. IV. Part. altera Bibl. Gr. p. 185. & 190. recenſet; ubi docet, Viros doctos, Lucam puta Holſteinium, & Joh. Jonſium, in eodem hoc Firmici Materni loco emendaſſe περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας, ubi male, ἐυλογίων legitur; quod certiſſimum pariter; ea enim materia περὶ λογίων illis temporibus unice ventilari ſolebat. Jam vero *Iſiaci*, ut reſtitui, dicebantur Sacerdotes Iſidis ſine adjecto ſubſtantivo abſolute, &

Strenue ſacra pugil hac palæſtra
Militet fortis cupidusque palmæ;
Et docens votis & utrinque diſcens
Agmen iisdem.

Bar-

Sacra ſimiliter iſta ſimpliciter *Iſiaca*; idque tam Græcis, quam Latinis Scriptoribus uſitatiſſimum. Plutarchus in Libro de Iſid. & Oſir. Tom. II. p. 352. Edit. Franc. Οὔτε γὰρ φιλοσόφους πωγωνοτροφίαι, ὦ Κλέα, καὶ τριβωνοφορίαι ποιοῦσιν ὥσπερ Ἰσιακὰς αἱ λινοσολίαι καὶ ξύρησις. Ἀλλὰ Ἰσιακός ἐστιν ὡς ἀληθῶς, ὁ τὰ δεικνύμενα καὶ δρώμενα περὶ τὰς θεὰς τούτους, ὅταν νόμῳ παραλάβῃ λόγῳ ζητῶν, καὶ φιλοσοφῶν περὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ἀληθείας. Et ſic paſſim, ut nulla ſit dubitandi, aut tricandi ratio. Nunc quoniam iſtum locum emendavimus, adjiciemus & cætera, de quibus tunc, Vir amiciſſime, nobis ſermo interceſſit, idque, niſi fallor, pace Tua. FIRMICUS MATERNUS ibid. p. 409. ſic loquitur:

Et cum mulieris animus ex impatientia nimii amoris arderet, mortuo adoleſcenti templa fecerunt, Tunc quod irata mulier pro injuria ſpretæ fecerat formæ, hoc ordinantes *à ſe pati voluere ſacerdotes. Sic annuis ſacris cum honore terræ iſtius funeris pompa componitur, & cum perſuadetur hominibus, quod colant terram, miſeri funeris venerantur exitium.*

Sermo eſt de cultu Deæ Phrygiæ, ſeu Cybeles, ejusque ſenſu allegorico, quem jactabant profani, irridente ſanctiſſimo Patre; præſertim de caſtratione Attyos juvenis fruſtra à Cybele adamati, quod facinus Sacerdotes imitentur. Jac. Gronovius ad iſta verba *hoc ordinantes à ſe pati voluere* notat, meliorem fore latinitatem, ſi præpoſitio abeſſet. Ego vero affirmo, ſi illa abſit, maximam vim & pondus orationis abfore, quæ non minus ita quoad mentem Scriptoris caſtratur, ac Sacerdotes illi à ſe caſtrabantur. Hoc enim vult: quod Cybele puero fecit, idem Sacerdotes à ſe, imo à ſe ipſis patiuntur, qui furor eſt tanto major. Nunc vero cuperem ſcire, quid ſibi illud velit *hoc ordinantes*? Ut de locutione duriore taceam, tota res ita deſcribi ſolet, ut furore lymphati & quaſi neſcientes, ac extra ſe rapti

Barbaros mores, & opinionum
Noxias menti removere nubes
Certet, inſulſas & ineptiarum
Tollere larvas.

Exulet

rapti tale facinus perpetraſſe dicantur, non peculiare aliquod de demetendis ſibi genitalibus decretum adhuc ſobrii ſanique inſtituerint. Sane palmaria eſt, & quantivis pretii emendatio. Dicimus enim ſcripſiſſe Firmicum:

Tum quod irata mulier pro injuria ſpretæ fecerat formæ, hoc Corybantes *à ſe pati volnere Sacerdotes. Sic annuis ſacris cum honore terræ iſtius funeris pompa componitur.*

Vides quam exigua, ac pene nulla mutatione facta (nam litera *c* ex præcedentis voculæ fine tantum repetenda eſt, & literam græcam per ſimplicem *i* ſcribebant librarii) ſua integritas toti fuerit loco reſtituta. Cæterum notum eſt, hos Cybeles Sacerdotes ſæpe promiſcue Gallos, Corybantes, Curetas, Telchines, Idæos Dactylos, Cabiros &c. nominari. Vide Lambin. ad Horat. l. I. od. 16. Voſſium patrem Idolol. l. II. c. 53. alibique. Obiter non invenuſte Firmicus verbis iſtis *pro injuria ſpretæ fecerat formæ* imitatur verba Virgilii Æn. l. I. vſ. 30. *Manet alta mente repoſtum Judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ*; uti p. 418. *Cum ſemiviro comitatu* ex eodem habet Auctore, ne cætera tangam. Subjungam his duo reliqua loca, de quibus tum, Vir Clariſſ. agebamus. Primus eſt puriſſimi ſcriptoris QUINTI CURTII à Viris Doctiſſimis mirum in modum, ſed fruſtra vexatus, duplici indigens emendatione. L. VIII. c. 4. de Alexandro agit Magno, cum Roxanen, Oxyatris Satrapæ filiam, in matrimonium vellet ducere ſibi imparem. En verba:

Tunc in amorem virgunculæ, ſi regiæ ſtirpi compararetur, ignobilis, ita effuſus eſt, ut diceret, ad ſtabiliendum regnum pertinere, Perſas ac Macedonas connubio jungi; hoc uno modo & pudorem victis, & ſuperbiam victoribus detrahi poſſe. Achillem quoque, a quo genus ſe deduceret, cum captiva coiſſe. Ne inferri *nefas arbitrarentur, ita matrimonii jure velle jungi. Inſperato gaudio* lætus *pater ſermonem ejus excepit &c.*

Hic

Exulet ſocors juvenum Veternus
Et ſenum, ventri Venerique ſoli
Semper indulgens, ſimul & Vacunæ
Pulcra peroſæ.

Barba-

Hic locus, quàm turpiter, & bis quidem corruptus eſt, nec ab ullo ſanatus, tam fideliter à nobis dextreque emendabitur. Val. Acidalius fruſtra offenditur voce *ita*; eam vel ejiciens vel *in* ſupponens, tum pàulo ante *ne in ſe fore nefas arbitrarentur* legendum exiſtimat. Sed obnititur Raderus, & vulgatam lectionem defendit, uti etiam Schefferus fecit, niſi quod τὸ *ita* aliter mutet ſine cauſſa. Nic. denique Heinſius corrigebat *ne ſui in ſe forſitan nefas* &c. ſatis temerè & licenter. Τὸ *inferri* utique mendoſum. Barbarum eſt illatinumque *inferre nefas ſibi* vel *alicui* eo ſenſu, *Labem, maculam* &c. *inferre* uſitatum, non *nefas*. In tali re ſimpliciter dicimus *nefas arbitrari, putare* &c.; ut in re prorſus ſimili Horat. l. IV. od. XI. *Semper ut te digna ſequare, & ultra quam licet, ſperare, nefas putando, Diſparem vites.* Et ſic centies, non aliter legemus. Nos loco medebimur verè, ubi prius monuerimus, ſequentia nulli ſuſpecta *gaudio lætus* ineptam eſſe ταυτολογίαν, quibus unica litera ſuccurret, & ſolitum Curtio reſtituet colorem. Emendandum eſſe dico, & Curtium ſcripſiſſe:

Achillem quoque, à quo genus ipſe deduceret cum captiva coiſſe. Ne inferiori *nefas arbitrarentur ita matrimonii jure velle jungi. Inſperato gaudio* elatus *pater ſermonem ejus excepit.*

Hæc vera Curtii ſcriptura, hic conſuetus illi conſtructionis lepos; ne nefas arbitrarentur ita jungi velle inferiori matrimonii jure. Vox abbreviata fuerat ſine dubio, ut ſolebat in MSC. antiquis, unde ex *inferiori* corruptum *inferri* ineptiſſime; cui fruſtra medicinam adhibebant temerarii conjectores. Sic Ovid. Art. Am. l. I. & 770. *Vilis in amplexus inferioris eat.* Senec. Provid. c. 3. *Ignominiam judicat gladiator cum inferiore componi;* ubi omnia paria in re diſpari. *Elatus gaudio* autem ἕξις Curtio in deliciis. Sic l. IV. c. 6. *Inſolenti gaudio juvenis elatus, virtutis etiam in hoſte mirator.* Et l. VI. c. 7. *Ibi Cebalinus gaudio elatus, habeo, te, inquit, incolumem.* Et ſic crebro alii quoque. Flavius Vopiſcus

in

Barbaro linquant Helicona Muſæ
Subditum pridem populo latronum,
Et diu vaſtam Claron, & repreſſis
Phocida lymphis;

Proque

in Floriano c. 6. *Tantum illud dico, ſenatores omnes ea eſſe lætitia elatos* &c. Sic ipſe FIRMICUS ſupra laudatus p. 452, ſcribit: *Tunc* elato *gaudio clamat elata mortalitas: Ubi eſt mors aculeus tuus?*

Ubi quis non conſentiet, alibi ut oſtendi, ſcripſiſſe Auctorem: *Tunc* cœleſti *gaudio clamat elata mortalitas* &c.

Ubi denuo exemplum occurrit, literam prioris vocis *c* finalem repeti neglectam, & ſic ex reſiduo *eleſti* fuiſſe *elato* factum: uti ſupra monui de voce *Corybantes*. Poſtremo loquebamur, ut recordaris, Vir Magnifice, de loco illo HORATII πολυθρυλλήτῳ, & in omnium ore, vitioſe tamen, ut paucis nunc oſtendam, verſante; lib. I. Sat. I. circa finem:

Jam ſatis eſt: ne me Criſpini ſcrinia lippi
Compilaſſe putes, verbum non amplius addam.

Enimvero quæ hæc impudentia ac improba dicacitas foret, objicere Criſpino lippitudinem, cum Horatius ipſe hoc malo laboraverit? quod nec ipſe diffitetur; Sed ter quaterve de ſe quaſi jocabundus repetit. Vide illum lib. I. Sat. 5. vſ. 30. 31. & 49. item lib. I. Ep. I. vſ. 29. Deinde, quæ fati ſcævitas, ſi ipſe etiam Criſpinus, quem hic ob loquacitatem vult tangere, lippus fuiſſet? Poſtremo nihil ad rem facit; nam ejus garrulitatem hic oblique carpere inſtituit, & ſcriptorum prolixas nugas. Hinc cæteri, ut Lambinus, Cruquius, Dan. Heinſius, aliique crediderunt *Criſpinum Lippum* nomine proprio fuiſſe dictum. At hoc Acron & Porphyrio, Scholiaſtæ veteres, non tacuiſſent, qui teſtantur aretalogum illum hominem fuiſſe ob garrulitatem nominatum. Cruquii vero antiquus Commentator prorſus ridicule τὸ *lippi* capit figurate ſeu tropice de animo; quaſi Horatius Criſpinum vocaſſet lippum pro inepto & ſtolido. Quis talia

Proque Parnaſo juga, proque Pindo,
Noſtra jam Turbæ placeant novenæ,
Hac latex Dirces, novus hac ſuſurret
Caſtalis ora,
Qua ſuas Rheno placide maritat
Rhura victori ſubeuntis undas
Amnis, & plauſum geniale fingit
Murmur aquarum.

Fama

vel fando audivit unquam, aut ſibi perſuadere potuit? at potuit tamen ante paucos annos Alexander Cuningamius huic commento ineptiſſimo album adjiciens calculum; & tanto libentius, ut populari ſuo, certe Britanno, Rich. Bentlejo contradiceret, qui vulgatæ lectionis abſurditatem, ejusque expoſitiones ridiculas, qualescunque demum illæ ſint, videns agnoſcensque, felicitate tamen non eadem, qua ulcus detexerat, idem tollere potuit; audacius enim juſto correxit ediditque: *ne me Criſpini ſcrinia* lippum *Compilaſſe putes.* Certe de ſe ipſo illud Horatius hic confeſſus eſt, ut alibi; nulla tamen ita aberrandi cauſa librariis videtur oriri potuiſſe, ut *τὸ lippum* corrumperent in alterum illud, quod vulgo circumfertur, *lippi.* At vide nunc veriſſimam Venuſini illius ſcripturam tot ſæculis jam incognitam. Emendandum eſt, ut ipſe olim dedit:

Jam ſatis eſt; ne me Criſpini ſcrinia lippis
Compilaſſe putes, verbum non amplius addam.

Lippis, nimirum oculis meis, elegantiſſima & uſitata ellipſi fuit dictum, quod omnes fefellit: qua locutione ſimul tacite innuit, quam parum credibile ſit, aut fieri queat, ut ipſe oculis lippis aliorum compilet ſcrinia. Cæterum tales ellipſes ſunt vulgares; ſic ibidem mox Sat. 2. vſ. 101. *Cois* dicit ſubintellecta voce, veſtibus; & vſ. 63. *togata* ſcil. muliere. Nota illa *ῥῆσις obliquis aliquem ſpectare.* Etiam apud Plautum in Perſa A. I. Sc. 1. vſ. 11. habes parem locutionem; *compilare* vero *oculis* dixit Horatius, ut alibi de iisdem *limare*, *metiri*, *percurrere*, imo *prævidere*

ocu-

Fama *Claubergi* recidiva noſtras
Semper illuſtret radiis Athenas,
Qui ſemel fulſit, tua lux decusque,
Solque, Solinga.

Semper accedat nova fax priori.
Grande, *Maſtrichti*, jubar, *Hundiique*
Grande, *Feltmanni* veteres novique,
Spargite caſtris,

Sint TUO ſemper ſimiles *Parenti;*
Sint, quibus cordi Themis, & Latina
Tullius Siren, tuba Tullioque
Juncta Maronis.

Grævii nunquam, rogo, *Tolliique*
Hic, & *Hennini*, ſimilesque deſint,
Quos vehit dudum niveis per auras
Gloria bigis.

Caſtus imprimis Superos colendi
Ritus, abſterſis & adulta rugis
Veritas rurſum niteat ſituque,
Diva Virago.

oculis inunctis, quod prorſus idem; & Florus l. II. c. 6. *oculis delibare.* Sed ego quoque hæc ſatis eſſe puto; & ne me quisquam Criſpini illius aretalogi ſcrinia compilaſſe putet, verbum non amplius addam; niſi ut tibi, Vir Magnifice, pro meo in Te amore, ac cultu, hunc annum fauſtum ac felicem, quin etiam Nobis omnibus, atque adeo toti Academiæ, cum infinitis aliis eodem curſu ac tenore elapſuris, auſpicatiſſimum precer, &, ut ea omnia, quæ paulo ante inter plurimos labores ac negotia cecini, impleantur, ex animo voveam. Vale ac ſalve plurimum!

Peſtilens rixæ neque turbet ardor
Dulce cœleſtis meletema Pacis.
Jurgiis, quæſo, quid aculeatis
Cum grege Chriſti?

Amne Cocyti, Stygis amne diro
Non tument fontes Siloæ; nec intrat
Ipſe Jordanem Phlegethon, ſacræque
Stagna Bethesdæ.

Jura conſervet Themis, aureumque
Tempus Aſtrææ meliore vena
Proditum terris fluat, exuletque
Barbara proles.

Juncta Doctrinæ Pietas per omnes
Mitis incedat ſine lite vicos,
Per domos cunctas, fora per tumultu
Turbida nullo.

Non minus mores docilis juventus,
Quam bonas Cyrrhæ veneretur artes.
Elegans cultu niſi ſis utroque,
Gloria ſtulta eſt.

Stulta laus omnis, niſi Chriſtus atras
Mente purgata nebulas repellat.
Solus hic Sol eſt; face Solis hujus
Solius ite.

Ite felices; dabit ille veras,
Quas mali fruſtra ſine fine captant,
Unico caſtis oculis in ictu
Cernere gazas.

Codicum quare numeroſa tanto
Quæritur nobis ſtudio ſupellex?
Quid libri proſunt, & Apollinaris
Pondera cenſus?

Terra

Terra cum Cælo liber unus amplo
Mille lectori documenta præſtat;
Cui notas ſcripſit manifeſta ſummi
Numinis aurea.

Ite nunc omnes, & adite magnum
Supplices Numen juvenes ſenesque,
Fata quo detur meliora ſemper
Jungere fatis.

Nullus externis locus eſſe bellis,
Nullus internis videatur; ædem
Stare Muſarum velit hanc perennem
Rector Olympi!

Flos juventutis melioris inde
Surgat, & Grajo ſale tincta proles,
Ex equo ſicut Phrygio caterva
Pubis Achivæ.

Tuque præſertim, generoſa Titan
Cui luto finxit meliore corda,
Sacra Phœbeo tibi miſſa ritu
Sceptra capeſſe.

Lenis adſpiret, precor, aura; toto
Candidi ſoles oriantur anno,
Et trahant longam ſimili bonorum
Lege catenam.

Soſpes & felix Tua ſervet æquo
Tramitem curſu rota; neu laboret,
Si quid obliquis, quod abominamur,
Flexibus obſtet.

Perge Virtutis rigidus ſatelles
Debitos laudum titulos tueri,
O decus Phœbi, ſacer o paterni
Nominis Hæres.

Fortis & prudens, & amœnus Idem
Lælium miſce facilem Catoni;
Pax, Quies, Fervor, Gravitas in una
Sede morentur.

Fauſtitas læto ſuper arva curru,
Et Fides, & Fas, & Honos, & omnis
Spiceam late volitet coronam
Copia geſtans.

Ite mordaces, procul ite, Curæ!
Vosque Rectori date ſempiternos,
Sceptra cum ſumit nova, cum reponet,
Fata, triumphos!

HENRICI THEODORI PAGENSTECHER,

ORATIO

DE

REGALI ALLUVIONUM INSULARUMQUE IN FLUMINE PUBLICO NATARUM JURE,

Dicta publice

XV. Kalend. Januar. MDCCXXXVII.

CUM

VIRUM NOBILISSIMUM ATQUE ERUDITISSIMUM,

HIERONYMUM KLUGKIST, Brema-Saxonem,

In numerum Juris Utriusque Doctorum

ſolemniter cooptaret.

* * * * *

* * * *

ORATIO.

CUm nuper, *Auditores, quotquot hic adeſtis, omnium Ordinum, Gradium ac Dignitatum, ſuo quisque loco atque ordine honorandi, colendi*, cum nuper (volebam dicere) brevem extra Urbem ſeceſſum facerem, illac, ubi Urbis ſitus mihi quidem præ cæteris maxime amœnus videtur, qua Rhura fluvius agros noſtros lambit, atque non multo poſt communem ſibi cum tot aliis patrem, cœruleum Rhenum, exoſculatur; neſcio, quis me, in ſolitudine mea deambulantem, atque contemplationi rerum, quæ ante oculos erant, intentum, ſacer quaſi corripuerit horror! Sentiebam facile, me cogitationibus mentis a creatura adſendere ad Creatorem, atque mox omnipotentiam Dei, mox ejus ſapi-

pientiam, mox iterum adorandam erga mortale genus bonitatem atque clementiam, laudare, extollere, venerari:

(a) *qui lege moveri*
Sidera, qui fruges diverſo tempore naſci,
Qui variam Phœben alieno juſſerit igni
Compleri, ſolemque ſuo: porrexerit undis
Littora; tellurem medio libraverit axe.

Sed tamen, diffiteri nolo, me & Juridicis nonnullis meditationibus occupatum fuiſſe, maxime, dum, non ſine admiratione quadam, ſimul conſiderabam rem nobis omnibus notam, ſed attentione, ut puto, digniſſimam, incrementa illa, quibus agros ab altera fluminis parte, & tam exiguo temporis ſpatio, adeo notabiliter per alluvionem auctos, ab hac parte vero imminutos videmus. Recordabar ſtatim eorum, quæ de alluvione, tum & de aliis incrementis fluviaticis, ſpeciatim de inſulis in flumine publico natis, vel in Inſtitutionibus meis legeram. Incidebat ſimul, quam diſſimiles circa hanc rem ſint diverſe ſentientium hodiernorum Interpretum opiniones, quamque diverſis ſingulæ, ſæpe perverſis quoque, ſuperſtrui ſoleant fundamentis. Et cum ego in ea perpetuo fuerim perſuaſione, tum alluviones, tum inſulas in flumine publico natas, hodie Principis, ſive, inter Regalia Fiſci referendas eſſe; quid ni, ſic tacitus apud me reputabam! cum brevi in publicum verba tibi facienda ſint; quidni de hac materia, exercitii & virium periclitandarum gratia, aliquid in medium proferas! Sic eſt, AA., conſtitui hodie, hac tam belliſſima occaſione, ubi præſtantiſſimo Juris candidato ſummi in Utroque Jure honores conferendi ſunt, de hac materia in medium aliquid proferre. Dicam ergo, cur enim vos in antico Ser-

(a) Claudian, *Lib.* 1. *in Rufin. v.* 7. *ſeqq.*

Sermonis mei diutius detineam! Dicam, & audite argumentum Orationis! DE JURE REGALI ALLUVIONUM AC INSULARUM IN FLUMINE PUBLICO NATARUM. Materia certe, uti Muneri meo conveniens, & illustri Auditorio, nisi me omnia fallunt, dignissima, sic talis quoque, quam nemini Vestrum ingratam fore, confido; Materia vero tam ardua simul, tamque salebrosa, ut ego quidem animum, rerum usu minus exercitatum, tantisque imparem negotiis, desponderem, nisi singularis erga me Vestra, quam jam plus semel, præter omne meum meritum, abunde mihi testatam feciſtis, me erigeret benevolentia. Vos rogo atque obtestor, patienter atque benigne me audite; ego viciſſim, habita maxime hiemantis temporis ratione, promitto, breviter me dicturum, sic bonæ plenus spei, fore, ut, quod a se non habet, a brevitate sua Vestraque adquirat humanitate qualiscumque Oratio nostra.

Ante vero, quam ad discussionem propositi thematis devenio, quoad *Insulas in flumine natas*, quo status quæstionis rite formetur, pauca præmunienda esse censeo. Scilicet, *primum*, de eo casu, quando amnis agrum, qui hactenus meus fuit, circumfluit, eumque nunc quasi in formam insulæ redegit, hic plane non est quæstio. Talem enim agrum, uti Jure Romano (*a*), sic hodierno quoque (*b*), quippe cum is numquam alvei, aut a flumine occupatus fuerit, meum manere, extra omnem positum est dubitationis aleam. Quæstio *quoque* non est de talibus insulis, quæ ex virgultis forte existunt, aliave qualibet levi materia, in superficie fluminis concrescente,

F

(*a*) §. 22. *in f. J. de R. D. l.* 7. §. 4. *l.* 30. §. 2. *ff. de A. R. D. l.* 1. §. 10. *ff. de Flumin. l.* 1. *vſ. Et cum. C. de Alluv.*

(*b*) B. Dn. de Cocceji *Exercitat. Curioſ. Vol.* 1. *Diſp.* 70. §. 16. Joh. Gryphiand. *Tract. de Inſul. cap.* 10. *num.* 72. *ſeqq.* Conf. Stryk. *U. M. P. tit. de A. R. D.* §. 27. *vſ.* noch auch geſinnet ꝛc.

te, quæque ita ſuſtinentur in flumine, ut ſolum ejus non tangant; quales, *inſulas natantes* ſolemus vocare. In Arteſia, ut unum tantum (*a*) exemplum præbeam, non procul a fano S. Audomari, locum eſſe, ajunt, in quo inſulæ aliquot fluitantes funiculo arboribus alligato, aut contis, quo libet, impelluntur atrahunturque, in quibus etiam boves aliæque pecudes paſci poſſunt. Tales enim inſulæ, & ſecundum ipſum Jus Romanum (*b*), publicæ erant, & ejusdem juris, cujus eſt flumen. Illud *denique* non minus certum eſt, in agris *limitatis*, quibus hodie comparari ſolent, qui vallo aut aggere muniti ſunt, apud ipſos quoque Romanos, uti non jus alluvionis (*c*), ſic nec acceſſionis inſularum (*d*), locum habuiſſe; apud illos equidem alluvionem hoc caſu occupantis fuiſſe, jure vero hodierno, dubitante nemine, Principi cedere. (*e*) Et ſic igitur, Diſputationis ſerra reciprocanda erit tantum, ſuper tali caſu, ubi agri *illimitati*, nec non ſuper talibus inſulis, quæ ex ipſo alveo enatæ ſunt; quando ſcil. (*f*) amnis vel (1.) locum, qui alvei erat, ſiccum relinquit & circumfluere cœpit; vel (2.) cum paulatim colluendo locum eminentem ſupra alveum fecit, eumque alluendo auxit.

Quod nunc ad rem ipſam attinet, de Jure Romano (*g*) clarum eſt, & vel Juſtinianis novis notum, id quod per alluvionem agro tuo flumen adjecit, tibi adquiri. Circa inſulas in flumine natas, idem illud Jus Romanum diſtinguit (*b*). Si enim in medio flumine inſula naſcatur, com-

(*a*) Vinn. *c. ad* § 22. *I. de R. D.* (*b*) *l.* 65. §. 2. *ff. de A. R. D.*
(*c*) *l.* 16. *ff. de A. R. D.* (*d*) *l.* 1. §. 6. *ff. de flumin.*
(*e*) B. Dn. de Cocceji *Diſp. ſupr. cit.* §. 13. Stryk. *loc. ſupr. all.* §. 18. Hopp. *c. ad l. in Uſ. Hod. ad* §. 20. *I. de R. D.* Voet. *c. ad Pand. tit. de A. R. D.* §. 15. (*f*) Vid. *l.* 30. §. 2. *ff. de A. R. D.*
(*g*) §. 20. *I. de R. D. l.* 7. §. 1. *ff. de A. R. D. l.* 1. *in f. C. de Alluv.*
(*b*) §. 22. *I. de R. D. l.* 7. §. 3. *l.* 29. *l.* 30. §. 2. *l.* 56. *ff. de A. R. D.*

Digitized by Google

communis est eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo latitudinis cujusque fundi, quæ prope ripam sit; si vero huic vel illi proximior sit parti, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia possident.

Posset videri, hoc Jus Romanum adhuc hodie obtinere debere, & proinde de insularum & alluvionum, aliorumque incrementorum fluviaticorum jure, non aliunde, quam ex hujus Juris dispositionibus, decisionem petendam esse. Si quidem hæc jam ab annis plus quam ducentis constans fuit omnium opinio, cui & nos merito accedimus, Jus Civile Romanum hodie in foris Germaniæ in dubio receptum esse, ita ut is, qui sententiam ex eo Jure allegat, intentionem suam fundatam habeat, nisi alter, vel consuetudine, vel lege posteriore excluſum, vel abrogatum esse, ostenderit. Discessit equidem ab hac opinione Vir Cel. *Joh. Georg. Kulpisius*, emissa, sub ficto *Conradi Sinceri* nomine, *Dissertatione Epistolica*, Dissertationibus ejus Academicis hodie inserta, in qua, regulariter Legibus veteribus Germaniæ, Juri vero Civili non aliter, quam praxi ejus illico ostensa, standum esse, ostendere allaboravit; cui deinde plurimi quoque subscribere non dubitaverunt, quos inter, quem honoris caussa nomino, illustre quondam Germaniæ atque Ordinis sui decus, *Christianus Thomasius*. (*a*) Verum non defuere quoque, qui auctoritatem hujus Juris, contra novatores hosce, liceat hoc sensu διεντικῶς vocare, liberali manu adsertum ivere, ubi in primis commendanda, doctrinæ illi Kulpisianæ directo opposita, *Diatribe* (*b*)

(*a*) Vid. Hujus *Dissert. De rite formando statu controv. circa usum Juris Justinian.* §. 2.

(*b*) Auctor hujus Diatribæ, qui in Dedicatione initialibus sese literis *I. C. H.* subscripsit, est *Jo. Casp. Heydelman.* Vid. Struv. *Biblioth. Jurid. c.* 7. §. 10.

Digitized by Google

Hiſtorico-Juridica de Receptione Juris Romani, ante hos viginti & tres annos in lucem edita, quæque vel ideo magis, me judice, expendi meretur, quod & hodie ignorantiſſimos quoscumque hic aliquid ſapere videri velle, proh dolor! cognoſcimus. Sed ſi ita cum hac re comparatum eſt, quanto magis, in themate propoſito, ais, Juri Civili ſtandum erit, ubi illud ipſum & Naturalis æquitatis ratione ſubnixum eſſe dici poſſit? Quid æquius enim, dum vicini, juxta ripas prædia & latifundia poſſidentes, & ripas iſtas munire debent, & vi fluminis agros ſuos ſibi detrahi & imminui magno ſuo malo experiuntur; Quid æquius, quam ut damna illa, alia quadam ratione, & ſic vel alluvione quoque, atque inſularum acceſſione, compenſentur? Itaque, non Jure Civili hoc primum conſtitutum, ſed ex ipſo Jure Gentium deductum eſſe, quod vult (*a*), commoda cujusque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda. Deinde cum nulla humana ratione ſciri poſſit, a cujus terris proprie, particulæ illæ, ex quibus nunc conſtat alluvio, derivatæ ſint, nihil convenientius eſſe (*b*), quam ut ei addicantur, cujus agro per ripam immediate uniuntur ejusque partem faciunt. Atque hinc, veluti jam ſuo tempore Lucanus cecinit: (*c*)

> *Illos terra fugit dominos, his rura colonis*
> *Accedunt, donante Pado.*

Sic idem illud Jus Civile adhuc hodie in plerisque Imperii Provinciis in viridi uſu atque obſervantia permanſiſſe, idque comprobari, in ſpecie, exemplo juris Provincialis, ſive, *Speculi* (ſic vulgo dicti) *Saxonici*, in quo ſcil. hæc expreſſiſſima verba leguntur (*d*): *Quidquid aqua*

(*a*) *L.* 10. *ff. de R. J.*
(*b*) Huber. *Digreſſ. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 22. §. 1.
(*c*) *Pharſ. lib.* 6. *v.* 277. (*d*) *Lib.* 2. *art.* 56.

aqua adimit terræ, hoc perdidit ille, cujus terra est. Si qua insula in flumine nata fuerit, cujus ripæ vicinior erit, ipsi est adquisita. Si autem mediam partem fluminis tenuerit, utriusque ripæ erit.

Et hæc sunt quidem, *Auditores*, inter multa alia, præcipua, ut mihi videtur, argumenta Dissentientium; inter quos, quo caussa patronum habeat, nomino insigne Jurisconsultorum par, summi quondam Tribunalis Wismariensis Vice-Præsidem & Academiæ Gryphicæ ornamentum, *Davidem Mevium* (*a*) nec non, Consiliarium olim Saxonicum & Vitembergensis Academiæ Anteceſſorem, *Petrum Heigium.* (*b*)

Verum enimvero, utcumque auctoritatem tantorum Virorum debite veneror, argumenta tamen, quibus utuntur, tanti non sunt, ut me a sententia mea deturbare possint. Quod enim ad Textum Juris Saxonici attinet, quem ultimo loco allegabam, bene notandum est (*c*), eum, in ipso saltem Textu Germanico, ubi de alluvione agit, nequaquam dicere, *alluvionem deberi ei, ad cujus fundum accedit;* sed tantum, ut ex verbis recitatis patet, *quidquid aqua terræ adimit, id perdere eum, cujus terra est*; & sic agere de amissione tantum prioris dominii, non vero de determinatione dominii novi. De cætero autem limitandus erit (*d*) ad minimum, in eo casu, si diversum quid, vel constitutum, vel consuetudine introductum fuerit, veluti constitutiones tales contrarias, saltem quoad insulas in flumine natas, vel in ipsa Saxonia extare, ex Rescripto Electorali non uno (*e*), si res postularet, ostendere possem. Quod porro dicebatur, naturale

(*a*) *p.* 7. *Dec.* 301.
(*b*) *Quæst. Jur. tam Civ. quam Saxon. Lib.* 2. *cap. ult. per tot.*
(*c*) Plura Schilter. *Prax. Jur. Roman. in for. Germ. Ex.* 4. §. 19. *lit. b.*
(*d*) Ziegler. *de Jur. Maj. l.* 2. *c.* 15. §. 26.
(*e*) Vid. Stryk. *U. M. P. tit. de A. R. D.* §. 21. *seq.*

turale eſſe, ut alluvio addicatur ei, cujus agro per ripam immediate unitur & cujus partem nunc quaſi conſtituit; id revera, ſi recte attendis, nihil eſt; ſiquidem alluvio, ut agro vicini, ſic non minus, immo magis adhuc, alveo fluminis, qui Principis eſt, unita deprehenditur; ut proinde, vel nihil exinde pro privato vicino, vel multo validius pro Principe, inferendum ſit. Æquitatis autem, ſupra a me memoratæ, rationem, quam adeo hic extolli videmus, & quæ, neſcio, quos conſcientiæ ſcrupulos hic excitare apta ſit, hanc (inquam) jam ante me refutarunt, tum Alii, tum Vir, & nomine & omine Magnus, in æterno *de Jure Belli & Pacis* libro. Scilicet, ſi hoc argumentum, quod, occaſione fluminis, multa ſæpe incommoda ſentiant vicini, hic aliquid valeret, jam dicendum eſſet, totum potius flumen vicinis deberi, id quod abſonum ſane. (*a*) Sed ſcil. JurisConſulto notum eſt, rem ſuo domino perire. (*b*) Immo regulam illam, commoda eum ſequi debere, quem ſequuntur incommoda, univerſalem non eſſe, vel in hac ipſa materia, ipſi adgnoverunt Romani, quando jus alluvionis & acceſſionis inſularum ad agros, ut ſupra diximus, *illimitatos* reſtrinxerunt. (*c*) Quod denique ad ipſam hac in materia Juris Romani diſpoſitionem, ejusque receptionem in foris Germaniæ, attinet, heic utraque manu accepto, Diſſentientes ipſos, vel qui inter eos ſaltem æquiores ſunt, ſententiam ſuam ita reſtringere, niſi contrarium, vel legibus patriæ diſpoſitum, vel per conſuetudinem introductum ſit.

Igitur, quemadmodum Diſſentientes ipſi exceptione hac ſua tacite concedunt, poſſe hoc Jus Romanum, ſi alicubi adhuc in uſu, vel dubium circa eam rem ſit, a quo-

(*a*) Leyſer. *Meditat. ad ff. ſpec.* 25. *med.* 4.
(*b*) Thomaſ. *de Regal. Fiſci Princ. Germ. cap.* 2. §. 4. *lit. k.*
(*c*) Grot. *de J. B. & P l.* 2. *c.* 8. §. 16.

a quolibet Principe, vel Statu Imperii, in suis territoriis tuto abrogari, quæ sententia quoque sine omni dubio utique recte se habet (*a*); ita mihi nunc quidem, quod agam, nihil ulterius restat, quam ut ostendam, Jus illud, vel Moribus hodiernis excluſum, vel per publicas etiam Imperii Leges revera abrogatum esse. Et hæc quidem Rhodus, ut dicitur, hic saltus!

Arcem autem sententiæ meæ in eo colloco, quod hodie, dubitante nemine, omnia flumina publica ad Principem pertinent. Extat ea de re famosissima Constitutio Imp. Friderici I. in libris nostris Juris Feudalis, sub titulo: QUÆ SINT REGALIÆ. (*b*) Ubi, præter vias publicas, portus, ripatica, bona vacantia, & plura alia, etiam flumina navigabilia ad Regalia referuntur. Ad quam Constitutionem respexit dubio procul elegantissimus Guntherus, *Octavo Ligurini* (*c*), ubi de Heroe suo, Friderico I., loquens, cum primum dixisset:

Postea sollicite Regni de jure vetusto
Quæstio mota fuit, quod desuetudine longa
Priscus inumbrabat neglecti temporis error.

Sic pergit:

Ac primum Ligures, super hoc a Rege rogati,
Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ,
Cumque molendinis, telonea, flumina, pontes,
Id quoque, quod Fodrum vulgari nomine dicunt,
Et capitolicium certo sub tempore censum;
Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco;
Hæc, & si qua pari fuerant obnoxia juri,
Prælati, Proceres, missisque potentibus Urbes
Libera Romano liquerunt omnia Regno.

Hoc

(*a*) Vid. Illustriss. Dn. de Cocceji *Jus Controvers. Pand. in Præfat. Qu.* 2. (*b*) *Lib.* 2. *tit.* 56. (*c*) *Vers.* 570. *seqq.*

Hoc poſito, neceſſum eſt, ut & inſulæ in flumine natæ, tanquam acceſſorium fluminis (*a*), ad Regalia referantur. Argumentum, cujus vim atque nexum & ipſi adgnoverunt JureConſulti Romani. Textus ad eam rem eſt notabilis in Pandectis, ſub titulo *De Adquirendo rerum dominio* (*b*), ubi Labeo, vel quisquis is eſt JCtus (*c*), expreſſiſſimis verbis: *Si id, quod in publico innatum aut ædificatum, publicum eſt, inſula quoque, quæ in flumine publico nata eſt, publica eſſe debet.* Quantum hic textus Interpretes Juris Romani torſerit, vix lingua proferre poſſum. Franc. Hotomannum (*d*), dum ſolvere nequit nodum, gladio ſecare, videmus, textum ſc. negative legendo: *Non ſi id, quod in publico innatum &c.* Alii ad *inſulas natantes*, de quibus ſupra dixi, vel ad caſus quosdam ſpeciales, reſtringere maluerunt. (*e*) Verum, uti Hiſce quidem generalitas ipſorum verborum obſtat; ita, quid de tali criſi habendum ſit, ubi pro lubitu, reclamantibus licet omnibus Codicibus modo ut cauſſæ tuæ inſervias, Caput aliquod, mox affirmative, mox negative, legere velis, & ſic quid pro quo, ut dicimus, efficere poſſis, id omnibus æquis & prudentibus rerum æſtimatoribus dijudicandum relinquo. (*f*) Sed

(*a*) Conf. p. m. Parens noſter, A. A. Pagenſtecher, *Aphor. ad Inſt. lib. 2. aph. 34. Lim. 4.* (*b*) *Legis 65. Paragraphus quartus.*

(*c*) Reſpicio ad conjecturam Viri Clariſſ., Joan. van de Water, *Obſerv. Jur. Rom. lib. 1. cap. 7.*, ſententiam hanc, non Labeoni, ſed, verborum facta metatheſi, Paulo, de quo in §. *proxime præcedente tertio*, adſcribentis.

(*d*) *Obſervat. lib. 1. cap. 23.*

(*e*) Vid. Gryphiand. *de Inſ. cap. 10. num. 66. ſeqq.*

(*f*) Perperam adjectam eſſe Negationem illam, ſentit quoque Jauchius *de Negat. Pand. pag. 210. n. 17.* Sed, vel Negationem illam admittendam, vel diſſenſum veterum JCtorum agnoſcendum eſſe, Cl. Maſcovius *de Sectis Sabin. & Procul. cap. 9. §. 5.*

Digitized by Google

Sed ne hisce diutius immorer, dabo nunc fundamentum aliud, cui æque, sine calumnia, ut mihi videtur, nihil opponi potest. Alveus, saltem quamdiu a flumine occupatur, sine dubio publicus est, sive, ut hodie, ad Principem pertinet: *impossibile est enim*, ut ipse Ulpianus (*a*) loquitur, *ut alveus fluminis publici non sit publicus.* Necessum est ergo, ut & insulæ, cum ex ipso alveo prognatæ, immo pars alvei sint, tanquam pars totius, ad regalia referantur. Concedis hoc forte: sed putas, postquam alveus a flumine derelictus est, cum is, de jure Romano (*b*), tum privatorum accolarum fiat, ejusdem juris & insulam esse debere. Sed, utcumque Romani talem juris ordinationem suo forte Statui convenire judicaverint, nos tamen, hodie secus esse, & alveum, qui semel Principis fuit, Principis manere (*c*), enixe contendimus; idque secundum principia, non Juris Naturalis tantum, sed ipsorum Romanorum quoque, statuentium scil., *rem meam sine facto meo mihi adimi non posse* (*d*): Immo, *id, quod ex re mea supersit, meum esse, & a me vindicari posse.* (*e*) Unde tum, porro, argumentum duco ad ipsam quoque *alluvionem*: siquidem & eumdem illum locum, qui nunc alluvionem constituit, evidens est, antea a flumine occupatum, & sic ipsum alveum, vel partem alvei

 fuisse.

(*a*) *L.* 1. §. 7. *in fin. ff. de Flumin.*
(*b*) §. 23. *I. de R. D. l.* 7. §. 5. *ff. de A. R. D.*
(*c*) Grot. *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 8. §. 9. *n.* 2. *& Introd. in Jurispr. Holl. Lib.* 1. *part.* 9. *vs. Also ook de Zee-Stranden.* Stryk. *U. M. P. tit. de A. R. D.* §. 19. Thomas. *de Regal. Fisc. Princ. Germ. cap.* 2. §. 5. Vitriar. *Inst. Jur. Publ. l.* 3. *t.* 18. §. 36. Gryphiand. *de Insul. c.* 11. *n.* 42. *seqq.* Quidquid dissentiant Carpzov. *p.* 3. *c.* 31. *d.* 14. & Leyser. *Meditat. ad ff. sp.* 502. *med.* 6.
(*d*) *L.* 11. *ff. de R. J.*
(*e*) *L.* 49. §. 1. *ff. de R. V.* Conf. *l.* 22. *in f. ff. de Legat.* 1. Huber. *Digress. part.* 1. *libr.* 4. *cap.* 21.

fuiſſe. Accedit, veluti vicini (ut dicam, quod minimum eſt) ſaltem non plus juris in alluvionem prætendere poſſunt, quam Fiſcus, cum hæc, ſi non magis, ſaltem æque immediate, cum alveo cohæreat, quam cum agris vicinorum; ita, nullam eſſe rationem, cum omnia Adeſpota Fiſcus jure ſibi adſerat, cur ſola alluvio, quæ & ipſa ex talibus particulis conſtat, quarum dominus ignoratur, cur, inquam, alluvio ex numero talium rerum eximenda ſit? Sed quid verbis opus, ubi expreſſiſſima, quoad inſulas in flumine natas, expreſſiſſima & publica Imperii Conſtitutio in medio eſt? Intelligo Conſtitutionem Imperatoris *Adolphi Naſſovii* (*a*), anno ſupra milleſimum ducenteſimo nonageſimo tertio, in generali Curia apud Noribergam, & de communi Principum ſententia latam, ad requiſitionem *Reinaldi*, Gelriæ Comitis, hujus nominis primi, quam magno Reip. literariæ bono ex Archivis Hollandicis edidit *Marquardus Freberus*. Verba Conſtitutionis ſic habent: *Quod ſi inſula nata eſt in Rheno, vel alio flumine, in Comitatu alicujus Comitis, qui in ipſo flumine recipit teolonia & conductus, habetque Comitatum eumdem, teolonia & conductum, ab Imperio, eadem inſula potius ſpectat ad Imperium, & ad ipſum Comitem, quam ad alium dominum, cujus diſtrictus protenditur ad ripam fluminis prælibati.* Quid clarius, quæſo, aut ad perſuadendum efficacius? Et tamen videor mihi audire ſuſurros obloquentium (*b*), Conſtitutionem illam non eſſe relatam inter *Receſſus Imperii*, & conſequenter, nullius auctori-

(*a*) Integra extat apud Goldaſtum *Conſtit. Imper. Tom. I. pag.* 315. Partem, huc pertinentem, exhibet & declarat Jo. Gryphiand. *Tract. ſape all. de Inſul. cap.* 13. Conf. Hert. *Tom. I. Reſp.* 598. & Dithmar. *ad Teſchenmacheri Annales. p.* 510. *ſeq.*

(*b*) Fritſch. *Addit. ad Aymi Tract. de Univerſ. Alluv. jur. Lib.* 3. *pag.* 448.

ctoritatis! Dubium, fateor, prima ſpecie graviſſimum! Sed quod tamen, ſi recte ponderes, cortice levius deprehendes. Enim vero Conſtitutiones Imperatorum, & Decreta Eorum, vim habent, non a relatione inter Receſſus Imperii, ſed ex poteſtate Legislatoria Principis & Jurisdictione ſumma. (*a*) Ut jam non dicam, Collectiones Receſſuum Imperii imperfectas eſſe, id quod, in opuſculo *de Receſſibus Imperii* (*b*), digito demonſtravit JCtus conſummatiſſimus, & in ſupremo quondam Auguſtæ Cameræ Imperialis judicio Aſſeſſor, *Ericus Mauritius.*

Atque ita, *AA. O.O. Hon.*, dejectis primum Adverſariorum fundamentis, meaque fundata ſententia, puto, me cauſſam viciſſe ſimulque reportata victoria, tuto triumphum canere poſſe. Ne autem putetis, me heic Ædilitatem (ut ſic loquar) ſine ſuffragio gerere voluiſſe, uti, quoad *Alluvionem*, conſentientes mecum habeo *Græwegium* (*c*), *Perezium* (*d*), *Zypæum* (*e*), & (uno verbo) Juris-Conſultos Belgas plerosque omnes (*f*); ex Germanis autem, Viros non minus maximos, Jurisque, tum publici, tum privati, conſultiſſimos, *Joh. Gryphiandrum* (*g*), *Mylerum ab Ehrenbach* (*h*), *Joh. Schilterum* (*i*),

(*a*) Schilter. *loc. ſupr. all.*
(*b*) *th.* 36. ſive *Diſſertation. & Opuſc. p.* 134. *ſeq.*
(*c*) *Tract. de LL. Abrog. ad* §. 20. *I. de R. D.*
(*d*) *Prælect. in Cod. Tit. de Alluvion. n.* 8.
(*e*) *Notit. Jur. Belg. lib.* 10. *tit. de Jur. Fiſci.* §. *res communes.*
(*f*) De Friſia tamen vid. Huber *Heed. Rechtsg. l.* 2. *c.* 5. §. 4. Ad agros quoque *limitatos* id reſtringunt S. van Leuwen *Cenſ. Forenſ. p.* 1. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 12. & Voet. *c. ad ff. tit. de A. R. D.* §. 15. Conf. *Sententien van den Hoogen en Prov. Raad in Holland. p.* 1. *ſent.* 166.
(*g*) *Tr. de Inſul. c.* 11. *& paſſim.*
(*h*) *de Princ. & Stat. Imp. R. G. p.* 2. *c.* 66. §. 8.
(*i*) *Ad* §. 20. *I. de R. D.*

Chriſt. Thomaſium (*a*), & qui plures ſunt; ita *quoad Inſulas in flumine natas*, ſententiæ, quam tueor, adſurgere video tantum non univerſum Juris-Conſultorum chorum. Aut quid ad JurisConſultorum conſenſum provoco, ubi provocare licet ad ipſa rerum argumenta, ad exempla, Germaniæ non tantum, ſed potioris partis Europæ; De Inſulis in Rheno natis, quas adſerant ſibi Electores Palatini, teſtis eſt *Noë Mærerus* Tractatu (dicam verbis Latinis) *de Jure Aquatico*. (*b*) De Electoratu Saxoniæ, Practicorum, qui vocatur, Dictator *Bened. Carpzovius* (*c*); & in ſpecie, de Inſulis, in Albi & Mulda fluminibus, *Zieglerus* (*d*) & ipſe *Heigius* (*e*) De Comitatu Hoyenſi, Vir Cl. *David Georgius Strube*. (*f*) De Friſia Orientali, nec non Comitatu Oldenburgico, Alii. (*g*) Denique & ipſum ſupremum Cameræ Imperialis Tribunal ſententiam hanc amplexam fuiſſe, præter *Gryphiandrum* & *Mylerum*, modo laudatos, teſtantur (*h*) *Sixtinus*, *Gylmannus*, *Rulandus*, aliique. Volumus & ad exteros inviſere? In vicinia nobis ſunt Fœderati Belgæ: De Hollandia ſaltem, vicinisque regionibus, teſtis eſt, omni exceptione major, *H. Grotius* (*i*); De Friſia, *Gryphiander* (*k*); de Gelria, *Lambertus Goris* (*l*), *& Petrus de Gre-*

(*a*) *de Regal. Fiſci Princ. Germ. c.* 2. §. 6. Idem de Gallia ſua, poſt Alios, Bugnyon *de LL. Abrog. l.* 6. *ſat.* 115. *& ibi* Chriſtyn. *in not.*
(*b*) v. tn. de Cocceji *Jur. publ. prud. c.* 14. §. 14.
(*c*) *p.* 3. *c.* 31. *d.* 13. (*d*) *de Jur. Maj. l.* 2. *c.* 15. §. 27.
(*e*) *Tract. ſupr. all. l.* 2. *qu. ult. n.* 39.
(*f*) *Commentat. de Jure Villicor. c.* 3. §. 2.
(*g*) Gryph. *c.* 11. *n.* 70. *ſeqq.*
(*h*) apud Stryk. *U. M. P. tit. de. A. R. D.* §. 20.
(*i*) *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 8. §. 9. *n.* 2.
(*k*) *d. c.* 11. *n.* 67. *ſeqq.* v. tn. Huber. *Supr. all. c.* 5. §. 4.
(*l*) *Adverſar. Tract.* 4. §. 23.

Digitized by Google

Greve. (*a*) De Gallia, *Philibertus Bugnyon* (*b*); veluti, in specie, de Insulis Rhodani, per Arrestum Tholosanum Galliarum Regi adjudicatis, *Baptista Aymus* Tractatu *de Jure Alluvionum.* (*c*). Possem, *Auditores*, idem Vobis ostendere de Insulis in flumine Clanarum (*d*) ditionis Florentinæ; aut, dum sumus in Gallia, præternavigando Hispaniam, & in ipsis Lusitaniæ Insulis. (*e*) Sed, quoniam tempus, quo naves subducendæ erant, jam dudum effluxit, ego quidem hic Orationis meæ vela lubens contraho, immo demitto.

(*a*) *Diss.* 4. *ad Inst. n.* 11. Exceptis nonnullis Locis, & quidem, ubi dubium est, quo nomine, Alluvionis ne an Insulæ, censendum sit id, quod supra terram eminet. Vid. Grot. *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 8. §. 14. *junct. Introd. in Jurispr. Holl. l.* 1. *part.* 9. §. *In eenige nabuyrige.* & §. *Aengaende de Eylanden.*

(*b*) *loc. supr. all.* Conf. Wissenbach. *ad. I. Disp.* 9. §. 31.

(*c*) *l.* 2. *c* 7. *n.* 2.

(*d*) Carpz. *loc. supr. all. n.* 5.

(*e*) Becmann. *ad Grot. d. c.* 8. §. 9.

Nobilisſimo & Conſultisſimo

AUCTORI,

Cum Orationem ſuam,

De

Regali Alluvionum Inſularumque in flumine publico natarum jure,

In Promotione (ut loquuntur) Doctorali publice ac ſolenniter habitam, nunc typis deſcriptam, foras daret.

* * * * *
* * * *

EſtInIVVenCIs,eſtInequVIspatrVM DepICta VIrtVs! *Horat.*

* * * * *
* * * *

Cereus obſcuro modii ſub tegmine poni
Non amat, aſt totam pingere luce domum.
Solis ad exemplum, pulſa qui nube per Orbem
Luminis evibrat ſplendida tela ſui.

Gau-

Gaudet in excelſis Aquilæ generoſa propago
Lampade Phœbea ceu propiore frui:
Aëreasque petit rupes, ubi condere nidos,
Pullitiemque novam læta fovere ſolet.
Talparum deforme genus, ſine luminis uſu
Sub terra vivens, terrea clauſtra cavat:
Deſidis atque animi nimium torpentis imago!
Quem nulla exili gloria tollit humo.
Ad talpas abeant & cæca cubilia talpæ!
Nobilis ingenii gloria calcar habet;
Calcar habet, laudesque ſuas virtutis amore
Sperat & a ſera poſteritate legi.
Talis es omnino, Clariſſime PAGENSTECHER,
Enthea vis mentis quem ſuper aſtra feret.
Nempe acri folio ſtimulatus PEGASUS hinnit,
Atque humiles campos linquit, ad aſtra volans.
Eſt aliquid prodire tenus! Documenta loquuntur
Optima, Tu quanto ſis GENITORE ſatus.
Magnus es in cathedra facundæ flumine linguæ,
Et παθος eloquii non leve pondus habet.
Ecce; tuas iterum, Vir Conſultiſſime, Curas
Elucubratas hæc nova charta dedit.
Alluvii dum jura doces, ſive inſula fiat,
Sive alias ripas fecerit unda ſibi;
Cui rapiat donetque novas ad flumina terras
Diva Themis, mira dexteritate probas.
Hauſimus hæc nuper ſublimi e ſede per aures,
Nunc oculis eadem ſæpe legenda patent.
Docta per ora Virum doctiſſima Scripta volabunt,
Quæ tuus ad limam parturit usque labor.

Euge!

Digitized by Google

Euge! Vir excellens, tantos Tibi gratulor auſus,
Muſarum plauſus plauſibus addo meos!
Præpetibus ſublime petet tua FAMA quadrigis,
Nec poterit terris, Te moriente, mori.
Vive diu, canasque nives clementia Cœli
Adſpergat capiti. Suavis AMICE, vale!

Debiti Amoris, Honoris & Amicitiæ cauſſa canebat

E muſeo, a. d.
XXIV. Junii,
1737.

WILH. NEUHAUS, SS. Theol. D.
illiusque in Regia hac Acad. Prof.
Ord. nunc per DEI gratiam tribus
annis ſexagenario major.

DISSER-

DISSERTATIO PHILOLOGICO-JURIDICA,

Continens,

DE

APPIO CLAUDIO CENTEMMANO,

Ad L. 2. §. 36. ff. de O. J.

OBSERVATIONES.

Quam

FAVENTE DEO O. M.

SUB PRÆSIDIO

HENRICI THEODORI PAGENSTECHER,

A. d. 17. Febr. MDCCXXXVIII.

Publice H. L. Q. S. defendit

HERM. THEODORUS TENDERINGH,

VESALIA CLIVENSIS.

APPIUS CLAUDIUS CENTEMMANUS.

Pomp. *Libr. Sing. Enchiridii.*
in *L.* 2. §. 36. *ff. De Orig. Jur.*

Poſt hunc (*Appium Claudium Decemvirum*) APPIUS CLAUDIUS ejusdem generis maximam ſcientiam habuit. Hic CENTEMMANUS appellatus eſt, Appiam Viam ſtravit, & Aquam Claudiam induxit, & de Pyrrho in Urbe non recipiendo ſententiam tulit. Hunc etiam Actiones ſcripſiſſe, traditum eſt, primum de Uſurpationibus, qui liber non extat. Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc proceſſiſſe, R. literam invenit, ut pro Valeſii, Valerii eſſent, & pro Fuſiis, Furiis.

Theſ. I.

PRæmitto, primi illius, apud Romanos, Appii, ſive, *Attæ Clauſi*, de quo, præter alios, Sueton. *in Tib. c* 1., v. Lipſ. *ad Tac. p.* 110. *not.* 34. *& p.* 193. *not.* 6. Nepotem fuiſſe *Appium Claudium Decemvirum*, cujus & meminit Pomp. *h. n.* §. 36. *pr. & ejusd. l.* §. 24.; Decemviri vero Abnepotem, *Appium Claudium JCtum noſtrum.* Vid. Rich. Streinn. *de Gentibus & Famil. Rom. in Claud. Gent. Theſ. Ant. Rom. Græv. Tom.* 7. *p.* 1101. *ſeq.* & Rupert. *Animadv. in Enchir. Pomp. l.* 1. *c.* 8. *& l.* 3. *c.* 2.

Theſ.

Theſ. II.

Refert Livius *Lib. 9. c. 29.*, in Cenſura, anno poſt V. C. 442., id eſt, ut Calviſ. *in Op. Chron. p.* 312., ante Chriſtum natum 308., non *Sulpitio* & *Sempronio*, ut peſſime Leewius *h. in not.*, quippe cum hiſce Coſſ. alii fuerint Cenſores, ſed M. *Valerio Maximo* & P. *Decio Mure* Conſulibus, quod munus Sacrificandi Herculi a Gente Potitia ad ſervos tranſlatum iviſſet, memori Deum ira luminibus captum fuiſſe. Conf. Val. Max. *l.* 1. *c.* 1. *num.* 17. & Senec. *Libr. de Provid. c.* 5. Solus, quantum ſcio, Diod. Siculus *Libr.* 20. *Bibl. Hiſt. p. m.* 373. *ſeq.*, facta Appii aliter interpretando, quo, invidiam ſcil. Senatus reformidans, domi ſe prætextu aliquo continere poſſet, cæcitatem eum tantum *ſimulaſſe* ſcribit. Sed erravit! ut cordate, video quoque, monuiſſe Grotium *de Vit. JCtor. l.* 1. *c.* 1. §. 6. Add. Rutil. *Vit. JCtor. c.* 3. §. 3 *in fin.* Atque hinc jam agnomen *CÆCI*, per omnes Hiſtorias notiſſimum, & in ipſis Pandectis noſtris apud Ulp. *in. L.* 1. §. 5. *de Poſtul.*

Theſ. III.

Quod ſi ita eſt, quid, quæſo, faciendum Pomponio, ſecundum Florentinam, id eſt, optimam Pandectarum editionem, eum CENTEMMANUM appellanti? *Hic*, inquit, *Centemmanus appellatus eſt! In re pueris nota*, ait Rupert. *ſupr. all. c.* 2., *& de qua Romani ſcriptores omnes conſentiunt, ſolum ceſpitaſſe Pomponium, ſtatuat alius, non ego. Legam omnino: HIC CÆCUS APPELLATUS EST.* Etſic in Editione Haloandrina. Sic & alii. Verum nos lectionem illam non admittimus, &, quousque major revocet auctoritas, credimus Pomponio, Appium hunc *Centemmanum* quoque, vel, ſi vis, una mutata litera, cum Brunquello *Hiſt. Jur. p.* 108, Aliisque, vid. Feltmann. *Comm. ad ff. h. n.* §. 36. *num.* 3., *Centummanum* appella-

tum fuiſſe. Apud Græcos Ægeon, de quo Virgil. 10. *Æneid.* 565. *ſeq.*

Ægeon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenasque manus &c.

Ἑκατόγχειρ, vel Ἑκατόγχειρος vocabatur. v. Homer. 1. *Iliad.* 402. qui, apud Horatium *Centimanus Gyges*, 2.0.17. *&* 3.0.4. Et quidni ſic & Appius, ſive a rerum expediendarum ſolertia, ſive a multitudine rerum pro Republica geſtarum, *Centummanus* vocari potuit! Immo, veluti Frontinus *Lib.* 1. *de Aquæduct.* Appium hunc avito nomine *Craſſum* appellat, cui nemo tamen propterea dicam ſcripſit; ſic & in ipſo hoc Pomponii Enchiridio ſingularia plura, tamquam totidem in nobili juris theſauro micantes gemmulas, deprehendes, quæ fruſtra apud alios quæſiveris.

Theſ. IV.

Qualia in Rep. munia geſſerit Appius, vel ſequens, ſi genuina modo eſt, docere poſſit inſcriptio:

APPIUS. CLAUDIUS
C. F. CAECUS
CENSOR. COS. BIS. DICT. INTER
Rex. II. PR. II. AED. CUR. II. Q. TR.
MILIT. III. COMPLURA. OPPIDA
DE. SAMNITIBUS. CEPIT. SABINO
RUM. ET. TUSCORUM. EXERCI
TUM. FUDIT. PACEM. FIERI. CUM
PYRRHO. REGE. PROHIBUIT. IN
CENSURA. VIAM. APPIAM. STRA
VIT. ET. AQUAM. IN. URBEM. AD
DUXIT. AEDEM. BELLONAE. FECIT.

Vid. G. Coccej. *b in not.* Pitiſc. *in Lex. Ant. Rom. Tom.* 2. *p.* 1068. & noviſſime Cl. Ortonem *Libr. de Tutel. Viar. publ. p.* 337. *& in Præfat. Theſ. Jur. Rom. Tom.* 1. *p.* 23. CENSORIS Appii meminit quoque Tabula Capitolina. Ubi, pro:

pro: CENS. AP. CLAUDIUS, Hermolaum Barbarum, vel quisquis is est, unde id habeat Barbarus, nimis oscitanter legisse: CÆSAR CLAUDIUS; atque ex eo deceptum fuisse magnum Salmasium, adnotat Rupert. *d. c.* 2., Sed & ipsum tamen Rupertum, locum Plinii, de quo ibidem sermo, non recte intellexisse, Eruditiss. Gisb. Cuperus *Monum. Antiq. p.* 250. *seq.*

Thes. V.

Verum hic suboritur dubitatio. Cæcos forte literis quidem egregiam posse navare operam: quo pertinent CÆCI VIDENTES, apud Cl. Heumannum *Pœcil. Tom.* I. *p.* 139. *sqq. p.* 187. *seqq. p.* 231. *sqq.* & Schelhorn. *Amœn. litter. Tom.* 12. *c.* 2. eosque inter, ipse Appius noster, qui, ut *Sexto Fastor.* Ovid.

Multum animo vidit, lumine captus erat:

Verum officiis publicis, *Judicis* v. g., qui *oculus justitiæ* scil. vocatur, v. Blarer. *ad L. Diffamari. c.* 1. *n.* 9., admoveri vel præesse non posse.

Thes. VI.

Si Leges Romanas consulas, jam duæ diversæ quæstiones, altera: an *Judicis*, altera: an *Magistratus* officio fungi possint? a se invicem distinguendæ sunt. Ulpianus autem, Cæcum utique *Judicandi* officio fungi, &, si ad ratiocinationem ejus recte attendas, ad officium tale noviter quoque suscipiendum admitti posse, satis aperte docet; numquid vero & *Magistratum* gerere possit? in ea re ipsum distinguere, videmus, ut retinere quidem acceptum, exemplo, quod allegat, Appii Claudii nostri, sed adspirare ad novum non possit penitus. Allegat & aliud exemplum, sed quod non nominat, *ejus qui gessit.* Quo tamen, vel ex *ipsa h. n. l.* 2. §. 47. *vs. Huic successit.*, referri potest, nisi fallor, exemplum *C. Cassii Longini.* Vid. Sueton. *Ner. c.* 37. Textus Ulpiani est: *Quamvis autem cæcus pro alio postulare non possit, tamen & Senatorium ordinem retinet, & judicandi of-*

ficio fungitur. Numquiâ ergo & Magiſtratum gerere poſſit? Sed de hoc deliberabimus. Extat quidem exemplum ejus, qui geſſit. Appius denique Claudius Cæcus conſiliis publicis intererat, & in Senatu ſeveriſſimam dixit ſententiam de Pyrrhi captivis. Sed melius eſt, ut dicamus, retinere quidem jam cœptum Magiſtratum poſſe, adſpirare autem ad novum penitus prohiberi; idque multis comprobatur exemplis.

Theſ. VII.

Ex hoc ergo Textu explicanda *Lex 6. ff. de judic.* ubi breviter: *Cæcus judicandi officio fungitur.* Arg. *l. 26. ſqq. ff. de LL. §. pen. vſ. nam plebem. l. de L. Aquil.* Eo magis, quod uterque ille Textus, ut inſcriptiones indicant, ex ejusdem JCti eodem *Libro Sexto ad Edictum* deſumtus, vid. Jac. Labitt. *Uſus Indicis Pandect. c. 3. §. 16.* Sed & ipſiſſimum hoc diſcrimen in Libris Baſilikῶν *Tit. de Judicib. & ubi quisque ag. & Tit. de Advocat. ſive de poſtul. Tom. 1. p. 296. & p. 395. Edit. Fabrott.* & iisdem fere verbis repetitum eſt. Conf. Duaren. *Diſp. Anniv. l. 1. c. 23.* Donell. 17. *Comm. 24.* Bronchorſt. 1. *Miſc. Contr. 32.*

Theſ. VIII.

Et ſic ceſſat explicatio diſſentientis Feltmanni *L. 2. de Titul. Honor, c. 11.*, *fungitur* in *d. l. 6.* ſumendum eſſe pro *non deſinit fungi.* Licet cæteroquin exemplum, quod adducit, ex *L. 35. ff. de Uſur.*, recte ſe habeat. Vid. p. m. Parens noſter, A. A. Pagenſtecher, *Admon. ad Pand. p. 4. §. 59. n. 2.* Voet. *Comm. ad Pand. Lib. 22. tit. 1. §. 10.* Noodt. *Tr. de Fœn. & Uſur. L. 3. c. 12.* Quod & ulterius illuſtrari poteſt ex *L. 1. §. 3. ff. de Minor.* ut ſcil. Minores ad annum 25. completum *regantur*, ut ibi dicitur, id eſt, non deſinant regi, auxilio Curatorum, quos ſemel ſponte admiſerunt. Conf. *l. ſeq. 2. eod. tit. verb. ad rem ſuam recipiendam.* Et G. de Hertoghe *Tribonian. circa Leg. Lætor. non err. §. 10.*

Theſ.

Thes. IX.

Nec officit, quod urget Feltmannus, tempore Justiniani, qui omnia scil. JCtorum verba sua fecerit, immo jam ante, Magistratus ipsos judicare jussos fuisse. Nam, ut recte Schilter. *Prax. Jur. Rom. in For. Germ. Ex.* 10. *th.* 24., non ideo judices pedanei dari desierunt. Conf. *Comment. Nostr. in S. Pompon. part.* 2. *cap.* 2. *lit. h. in not.*

Thes. X.

Illud saltem nos nihil movere potest, quod addunt Bachov. *ad Tr. Vol.* 1. *Disp.* 8. *th.* 2. *lit. B. & Disp.* 12. *th.* 7. *lit. C.* Aliique, Judicem, secundum jus novum, sententiam ex periculo recitare partibusque prælegere debere, de quo Rævard. *Protrib. cap. ult.* & Pollet. *Hist. For. Rom. l.* 5. *cap.* 15. *pag.* 529. cum supponatur scil. casus, quo judex id ipse facere potest; casu vero, quo non potest, non quidem memoriter, ut volebat Brunneman. *Comm. ad d. l.* 6. *ff. nam.* 2. ipse se corrigens *in Comm. ad L.* 2. *C. de Sent. ex per. rec. n.* 2., sed per Actuarium id expedire, & valere debeat Regula Juris altera: *Quod quis per alium facit, censetur ipse fecisse.* Vid. Tentzell. *Dissertat. de eo quod just. est circ. Cæc.* §. 20. Nec enim calumniari oportet, aut verba captare, sed qua mente quid dicatur, animadvertere, ut loquitur JCtus in *L.* 19. *ff. ad Exhib.* id quod fortiter urget, & argumento, ex persona Appii, licet alia occasione, desumto, illustrat Cic. *in ea pro Cæcin. cap.* 18. *& seq.*

Thes. XI.

Et proinde, ne quidem cum Struvio *Synt. Jur. Civ. Ex.* 9. *th.* 10. Voetio *Comment. ad ff. tit. de Judic.* §. 42. Hanedoes. 29. *Exerc. Imp.* 3. Aliisque, excipimus cauſſas *ocularem inspectionem* desiderantes. Vid. ipsum Struv. *Evol. ad d. th.* 10. *n.* 3. Cæterum in nostris Judicibus hodie, cum sint *Magistratus*, obtinere distinctionem *dictæ Legis* 1. §. 5.

facile

facile conceſſerim. Vid. Huber. *Eunom. Rom. ad. d. l. 6. n. 2. in fin.* ita ut ſuperveniens cæcitas non noceat, Ill. Dn. de Cocceji *Jur. Contr. Pand. tit. de judic. qu.* 6. præcedens noceat. Diſſ. Schilter. *loc. ſupr. all.* Sed vide Stryk. *V. M. P. tit. de judic. §. 7.* Denique, nam & hoc addam obiter, de Cæco *Doctore Creando*, v. Itter. *de Honor. ſeu Gradib. Acad. cap. 7. §. 5.* De Cæco, *Miniſtro Eccleſiæ*, Cl. Boëhmer. *Jur. Eccleſ. Proteſt. Libr. I. tit. 20. §. 3. ſeq.*

Theſ. XII.

Quod nunc ad ea attinet, quæ præclare ab Appio geſta memorat Pomponius, ea ad quinque diverſa genera reduci poſſunt, quando eum (1.) *Appiam viam ſtraviſſe;* (2.) *Aquam Claudiam induxiſſe;* (3.) *de Pyrrho in Urbe non recipiendo tuliſſe ſententiam;* (4.) *Actiones & de Uſurpationibus ſcripſiſſe;* & (5.) denique, *R. literam inveniſſe*, tradit, *ut pro Valeſii Valerii eſſent & pro Fuſiis Furiis.* Sic enim verba Juris-Conſulti, verſ. *Hunc etiam &c.* accipimus, primum omnium Appium *actiones* ſcripſiſſe *& de Uſurpationibus*, ſive *e De* pro *& de*, ex uſu ſcil. Scriptoris Libri Florentini, cum Ant. Auguſtino; vel etiam, actiones ſcripſiſſe, ſed *primum*, ſive *ante*, de Uſurpationibus. Tum etiam, quin in verſ. *Idem Appius &c.* de eodem hoc noſtro Appio Cæco adhuc ſermo ſit, nulli dubitamus, ſive verba illa: *qui videtur ab hoc proceſſiſſe*, de Appio, qui videatur *ab hoc*, ſcil. a Decemviro, de quo *in princ. hujus §.*, proceſſiſſe; ſive de inventione literæ R., velis intelligere, pro *qui* legendo *quia*; ſive etiam hac transpoſitione uti: *R. Literam invenit, videturque ab hoc proceſſiſſe, ut &c.* Licet, quoad priorem illam interpretationem, incommodum nobis videatur, ſic originem & gentem Appii, tamquam *rem incertam*, propoſuiſſe Pomponium, de qua tamen dubitare, nec poterat, nec debebat.

Theſ.

Thes. XIII.

Primum est: APPIAM VIAM STRAVISSE. Sane, si magnitudo Romana in aliqua re, in viis etiam publicis quam maxime exsplenduit. Vel una illa, *Longarum*, ut Statio vocatur, *regina viarum*, vel, ut Martiali, *Ausoniæ maxima fama viæ*, ab Appio Censore structa, & ab eodem *Appia*, ut postea ab instauratore suo *Trajana* vocata, considerantem in stuporem dabit. Consule sis, testem oculatum, Procopium *Lib.* 1. *de Bell. Gothor. Cap.* 14. *Corp. Hist. Byz. Tom.* 2. *p.* 28. &, qui hunc latius explicat, Lipsium *de Magn. Rom. L.* 3. *c.* 10. quos non exscribo. Illud addo, in eadem hac Via occurrere celebre illud, ab Appio nostro structum, triginta, ut volunt, & duo, vel, ut alii, duodecim, circiter milliaria ab Urbe dissitum, & vel ex Novi Fœderis tabulis cognitum, Ἀππίου φόρον, APPII FORUM. Vid. *Act. Apostol. c.* 2. 8. *vs.* 15. Lutherus obscuro verbo reddidit APPIFER. Meminit Cic. 2. *ad Att.* 10. Horat. 1. *Sat.* 5. *vs.* 3. *seq.* Suet. *Tib. c.* 2.

Thes. XIV.

Alterum: AQUAM CLAUDIAM INDUXISSE. Quam Pomponius, Eutropius, forte & Alii, *Aquam Claudiam*, hanc reliqui Scriptores ut plurimum *Appiam* vocant, & melius, ut videtur; ad distinctionem sc. *Aquæ Claudiæ*, in specie sic dictæ, quæ Imp. Claudio debetur. Vid. Sueton. *in Claud. c.* 20. Cujac. *b. in not.* & Jac. Gothofred. *Comm. ad L.* 9. *C. Theod. de Aquæduct.* De re ipsa, Liv. *Lib.* 9. *c.* 29. & Lips. *de Magn. Rom. l.* 3. *c.* 11. Quem si audias, necessum est, Aquam hanc Appiam & *Aqua Marcia* vetustiorem fuisse, de qua controversia Cel. Burmann. *de Vect. Pop. Rom. Cap.* 12. §. *Primum occurrit &c.* & B. Gundling. *Opusc. part.* 16. §. 25.

Thes. XV.

Tertium: DE PYRRHO IN URBE NON RECIPIENDO SENTENTIAM TULISSE. In Epitome

quoque Liv. XIII. ſcriptum eſſe, Pyrrhum, poſt primum prælium, legato ad Senatum miſſo, petiiſſe, ut, componendæ pacis cauſſa, *in Urbem reciperetur;* Alios vero hoc non memorare, Regemque nihil aliud, quam amicitiam & fœdus per legatos petiiſſe, obſervavit jam Cl. Dukerus *ad Flor. l.* 1. *c.* 18. *num.* 15. *verbis: annixus eſt, in fin.* Jo. Coraſius *Miſc. Jur. Civ. l.* 4. *c.* 21. putat, eo amplius, Pomponio noſtro obloqui Ulpianum *ſupr. all. L.* 1. §. 5. *ff. de poſtul.* in altero enim Textu dici, Appium *de Pyrrho in Urbe non recipiendo;* in altero autem, *de captivis Pyrrhi non recipiendis*, ſententiam tuliſſe. Sed errat Vir Doctiſſimus: de Pyrrhi enim captivis *non recipiendis*, ne gry quidem apud Ulpianum: loquitur de Pyrrhi captivis *jam reſtitutis.* Vid. Flor. *d. l.* 1. *cap.* 18. *num.* 15. & quæ fuerit ſeveriſſima illa Appii ſententia, fere colligere eſt ex Val. Max. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 15. Aliisque. Vid. Duker. *ad d. Flori loc. verbis: Captivosque.*

Theſ. XVI.

Proinde nec admittendum, quod habet Leewius *h. in not.* narrans, cum Cineas, de pace ac fœdere ineundo miſſus legatus, *gratuitam captivorum dimiſſionem obtuliſſet, non redimi captivos, ex Appi ſententia, reſpondiſſe Senatum.* Nam & loca, quæ allegat, partim non loquuntur de Pyrrhi captivis, partim, ubi de iis loquuntur, de Appio, ne verbo quidem, multoque minus de tali ejus ſententia, mentionem faciunt, immo partim quoque contrarium, & ab *ipſis ſcilicet Romanis*, & quidem *pro redimendis captivis*, legatos ad Pyrrhum miſſos fuiſſe, dicunt. Accurſii autem, qui præ cæteris hic ſuaviſſimus eſt, ineptias, *ad d. l.* 1. §. 5., ne tangimus quidem, relegandas ad ſimilis farinæ alia, apud elegantiſſimi Virum ingenii, Joſephum Aurel. de Januario *Respubl. JCtorum pag.* 122. *ſeq.*

Theſ.

Thes. XVII.

Ipsam Appii Orationem, in Senatu habitam, videre est apud Plutarchum *in Pyrrho, sive, Opp. Tom.* 1. *pag.* 394. *seq. Edit. Wechel.* Meminit ejusdem Cic. *de Senect. cap.* 6. Sed exhibebo eam ex versione, licet & in ea ipsa sit quod desiderem, Nic. Caussini *de Eloq. Sacr. & Hum. lib.* 1. *cap.* 40. *Antea quidem cæcitatem meam molestè ferebam, nunc autem doleo, ad hoc oculorum incommodum, non accessisse surdidatem: Neque enim consiliorum sententiarumque ignaviam atque turpitudinem audirem, quibus Pop. Romani gloria brevi est interitura. Ubi vester ille omnium, quotquot sunt, mortalium aures pervagatus sermo, quo jactabatis, illum Alexandrum Magnum, si in Italiam veniisset, cum & vos ætatis flore, & vestri parentes consiliorum vigore florerent, invictum (ut prædicabatur) haudquaquam futurum, sed, aut sua fuga, aut certe, quod gravius est, cruore, vestri imperii nomen sanciturum fuisse. Phalerata (ut apparet) verba fuere, inania veritatis, plenissima jactationis. Chaonas quippe & Molossos, perpetuam Macedonum prædam, timetis, Pyrrhum exhorrescitis, qui unum aliquem ex istis Alexandri satellitibus semper affectatus, nunc non tam Græcis suppetias ferens, quam ipse domesticos hostes fugiens, circa Italiam diffusus vagatur. Scilicet isto vobis copiarum robore pollicetur Orbis imperium, quibus particulam Macedoniæ servare non valuit? Nolite existimare, hominem, si semel placaveritis, a vobis recessurum; quin potius hac lenitate innumeros alios estis excitaturi, qui vobis tanquam mortalium contemtissimis insultent, cum præsertim Pyrrhus non modo post tot illatas injurias impune abeat, sed etiam mercedem a P. R. ferat, quod vos Tarentinorum & Samnitium fecerit ludibrium.*

Theſ. XVIII.

Memorabile quoque eſt, & a nemine adhuc, quantum ſcio, adnotatum, quod refert Rev. Burnetus *dans ſon Voyage de Suiſſe, d' Italie, &c. pag. 3. in fin.* Cujus ipſa verba Gallica, licet invitus fere, ex editione, qua utor, hic ſubjicio: *La Harangue de Claudius* (inquit) *gravée ſur une plaque de Bronze, placée au bout d' une Gallerie en la maiſon de ville* (de Lyon), *eſt une de plus nobles antiquités du monde, qui nous decouvre tres clairement la maniere d' ecrire & de ponctuer de ce temps la &c.*

Theſ. XIX.

Quartum: ACTIONES, ET DE USURPATIONIBUS, SCRIPSISSE. *Actiones* autem? Atqui hæ jam ante Appium fuere, & ex quo, id eſt, Gentium jure, ſunt dominia atque contractus, ex eodem jure merito quoque Actiones eſſe, dicuntur! Verum *actiones* hic ſunt *formulæ actionum*, vid. *h. n. l.* 2. §. 12. *ibi: quæ formam agendi*, quas, ne populus, prout vellet, inſtitueret, certas ſolemnesque eſſe voluerunt Romani, *d. l.* 2. §. 6. *h. t.* quibusque adeo neceſſario utendum erat litigaturis, ut, niſi cauſſa cadere vellent, quod illi *forma*, ſive, *formula excidere* vocabant, ne latum quidem unguem ab iis recedere liceret. Vid. Senec. *de Clem. l* 2. *c.* 3. Siccam. *de Judic. Centumvir. l.* 1. *c.* 4. Has actiones, jam olim ex LL. Tabb, & fere eodem tempore, compoſitas, *d. l.* 2. §. 6., dicit Pomponius, SCRIPSISSE Appium: id quod ex iis, quæ *ſupr. d. l.* 2. §. 7. dixerat, eum has actiones *propoſuiſſe* i. e. compilaſſe, & *ad formam*, ſive, in certum ordinem *redegiſſe*, atque, eo ſenſu, L*ibrum, qui actiones continet*, ſcripſiſſe, explicari poteſt. Qui Liber, quantæ apud Romanos eo tempore utilitatis fuerit, vel exinde licet colligere, quod, referente Pomponio *h. n. l.* 2. §. 7., cum

cum Gnæus Flavius Appii Scriba, subreptum librum populo tradidisset, adeo gratum fuerit id munus populo, *ut Tribunus plebis fieret, & Senator, & Ædilis Curulis;* addens: librum ipsum vocatum fuisse JUS CIVILE FLAVIANUM. Sed, veluti liber iste melius, me arbiteo, vocatus fuisset JUS CIVILE APPIUM, vel, CLAUDIUM, ad exemplum, hic quoque memorati, JURIS CIVILIS PAPIRIANI, & JURIS ÆLIANI: ita, quæ dubia Pomponio, circa narrationem hanc, speciatim de *Ædilitate* Flavii, eo beneficio indepta, a Viris eruditis, ex Valerio Maximo *Libr.* 2. *cap.* 5. *n.* 2., Livio *Libr.* 9. *cap.* 46., & alias, obmota fuerint, nemo, modo non ἀμύητος, ignorare potest.

Thes. XX.

Alter, hic memoratus, Liber, est: DE USURPATIONIBUS. Usurpatio, dicam breviter verbis Juris-Consulti Pauli, est *Usucapionis interrumptio, L.* 2. *ff. de Usurpat. & Usucap.* Et *hac de re egisse Appii Claudii librum de Usurpationibus*, ait Cl. Heinecc. *Ant. Rom. ad Instit. Lib.* 2. *tit.* 6. §. *ult.* Ubi vel ipsæ LL. Tabb., ut constat ex iis, quæ adhuc hodie supersunt, fragmentis, de *Temporibus Usucapionum*, de *Usucapione & Usurpatione uxorum*, Vid. Gell. *l.* 3. *N. A. cap.* 2. & similibus rebus aliis, materiam differendi Appio præbere potuerunt elegantissimam.

Thes. XXI.

De cætero vero, quid proprie eo libro tractaverit, aut quomodo librum suum ordinaverit Appius, mihi quidem ἀθύνατον est divinare: si quidem jam sua ætate librum eum amplius NON EXTITISSE, testatur Pomponius: fato, quod & aliorum JCtorum scriptis, jam tum accidisse, idem testatur JCtus *h. n. l.* 2. §. 42. & 45.:

ut mirum profecto videri non debeat, Pandectas Juſtiniani, & quidem, poſt ulteriora tot temporum intervalla, non ex Appii Claudii, & plerorumque aliorum, qui liberam videre Remp., ſed ex Papiniani, Pauli, Ulpiani, aliorumque, poſt occupatam Remp., JCtorum ſcriptis, compilatas fuiſſe. Licet & alias hujus rei rationes eſſe, nequaquam dubitandum. Ex profeſſo Cl. Schultingius *Oratione priore Jurisprudentiæ Antejuſt. ſubjecta.* Ubi *p.* 896. & hæc cauſa: *Conditum erat inſuper ſub Adriano Imp. novum Edictum perpetuum.* Quid? An non & inde eſt, quod & in Codice quoque Juſtinianeo nulla Lex, antiquior Hadriano, invenitur; quidquid. Gregorium JCtum, Leges, inde *ab Auguſto*, in Codicem ſuum collegiſſe, ſcribat Schutzius *Comp. Laut. p.* 7., qui error tamen ab aliis jam quoque adnotatus eſt. vid. Stryk. ibi *in Annot. verb.: usque ad Hadrianum.*

Theſ. XXII.

Quintum, denique, eſt: LITERAM R. INVENISSE UT &c. Sentiunt nonnulli, Pomponium ſimpliciter accipientes, Appium noſtrum revera literam R. primum inveniſſe; in primis ſcil., quum Tacitus *Annalium undecimo* teſtetur, Romanis paucas primum literas, deinde additas fuiſſe. Si dicas, eam literam utique Romanis jam ante fuiſſe cognitam, neque veriſimile eſſe, pro *Roma* v. g. eos *Soma*, pro *Romulo* & *Remo*, *Somulum Semum*que dixiſſe; reſpondebunt, licet concedendum ſit, ſcriptum fuiſſe v. g. *Soma* & *Somani*, pronuntiari tamen potuiſſe *Roma* & *Romani*, exemplo ſcil. literæ C. *Gajum* namque v. g. & *Gajam* enuntiaviſſe Veteres, a gaudio parentum dictos; Sed, ante inventam tamen literam G., *Cajum Cajamque* conſtanter ſcripſiſſe, Auctore Quintil. *Inſt. Orat. Lib.* 1. *c.* 7. Vid. Balth. Branchu *Obſervat. ad Jus Rom. part.* 1. *Cap.* 10. Verum enim vero, cum ipſe Pom-

Pomponius, ut plura jam non adducam, inventionem literæ R., Appio tributam, expresse ad duo vel pauca tantum vocabula restringat, quando ita eum literam R. inveniisse tradit, *ut pro Valesii Valerii essent, &c.* ego quidem amore Appii mei ita me abripi non patiar, ut tribuam ipsi, quod nec ipse Pomponius, nec, præter eum, ullus alius unquam adseruit. Conf. Ant. Augustin. *de Nomin. Propr. Pand. Thes. Jur. Rom. Tom.* 1. *pag.* 207. *lit. B. & ibi* Cl. Otto *in Præfat. p.* 23. Ubi tamen pro verbis: *Cæterum APPIUS ab Æolibus, aut ab Atticis, mutationem illam hausisse videtur &c.* legendum sine dubio: *Ceterum ROMANI ab Æolibus, aut ab Atticis hausisse videntur &c.* Quid enim necesse erat Appio, foris quærere, quod jam domi habebat? Et ita quoque Muretus, ibi allegatus, *Thes. Jur. Rom. Tom.* 4. *pag.* 170. id quod admonuisse, ægre non laturum Virum Celeb., spero, & pro ea, qua est, humanitate confido.

TANTUM EST.

M. Θ. Δ.

ADDI-

ADDITAMENTUM
De Novellis Gloſſatis.

HOFFMANNUS *Hiſtor. Juris Romano-Juſtineanei, Vol. 1. Libr. 2. cap. 2. §. 14.*, cum dixiſſet, in Numero Novellarum, editiones earundem non convenire, *in Notis ibid. lit.* C. ſubjicit ſequentia: „Magnam „confuſionem hæc numeri differentia peperit. Cum enim „recentiores editiones, cum Contio & Dionyſio Gotho„fredo, CLXVIII. numerent Novellas, interruptus eſt „ordo Novellarum, qui in gloſſata editione obſervatur, „cum illæ, quas Haloander, Scrimgerus, Cujacius, alii„que, invenerunt, infarctæ ſint. Indicavit illas PAGEN„STECHER *in Sicilim. manip. 4. pag. 17.* nempe Novell. „I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. „XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXXII. „XXXIII. XXXIV. XXXIX. XLIV. XLVI. XLVII. XLVIII. „XLIX. LI. LII. LIII. LIV. LV. LVI. LVII. LVIII. LX. LXI. „LXIII. LXVI. LXVII. LXIX. LXX. LXXI. LXXII. „LXXIII. LXXIV. LXXVI. LXXVII. LXXVIII. LXXIX. „LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV. „LXXXVI. LXXXVIII. LXXXIX. XC. XCI. XCII. XCIII. „XCIV. XCV. XCVI. XCVII. XCVIII. XCIX. C. CV. CVI. „CVII. CVIII. CIX. CX. CXI. CXII. CXIII. CXIV. „CXV. CXVI. CXVII. CXVIII. CXIX. CXX. CXXIII. „CXXIV. CXXV. CXXVII. CXXVIII. CXXXI. CXXXII. „CXXXIV. CXLIII. CLIX. Inter has tamen non videtur „nominanda fuiſſe Nov. CVI. cum in Gloſſatis non ap„pareat, uti monet Vir Conſultiſſ. GOTTF. LUDOV. „MENCKEN *in Diſſertat. de Novellarum Gloſſatarum &*

non

Digitized by Google

„*non Glossatarum autoritate*„. Verum, uti delenda hic est *Novella XI.*, quippe quæ in *Sicilienses all. loc.* tamquam Glossata nequaquam indicatur, & de cetero quoque, propriis oculis, hac in re, ut apparet, non vidit HOFFMANNUS, sed fide tantum alterius nisus fuit, ita nimis temere Eum, absit verbo invidia! judicium protulisse, patet ex responsione, quam ipsi MENCKENIO jam anno 1712. dedit p. m. Parens noster, in Disputatione inscripta: *Carmina Legalia cum Adnotamentis*, quam ego tum, adolescens adhuc, Groningæ, sub præsidio Parentis, publice tuitus sum. Responsionem illam, quod Eruditis ingratum non fore existimo, hic subjicio: „Ceterum Dn. Gottfridus Ludovicus Mencken *de Novellarum Glossatarum & non Glossatarum auctoritate Juris*: Catalogum Novellarum Glossatarum, quem exhibui *in Irnerio meo inj. vap. Coit. 28.* § 7. (& *in Sicilien. d. loc.*) equidem amplectitur, in eo tamen abs me recedit, quod Novellam CVI. inter Glossatas recensuerim. Verum, qui Corpora Juris Glossata curatius inspicient, illi dictam Nov. CVI. manifeste inter Glossatas invenient. Inter alia rogo Dn. Menckenium, ut „dignetur evolvere Corpus Glossatum editum Parisiis „anno MDL. apud Carolam Guillard viduam Claudii „Chevallonii sub sole aureo, & Gulielmum Desbois sub „cruce alba in via Divi Jacobi: Ubi dicta Novella CVI. „pag. 701. & 702. non tantum integra apparet, sed & „Glossis illustratur. Recte ergo Glossatis ex duplici „hoc capite eandem connumeravi. Utrumque hoc „non Glossatis deest. Nam hæ Glossas non habent, immo in Corpore Juris Glossato ne quidem apparent.

ADNEXA RESPONDENTIS.

I.

Matrimonium, ſine parentum conſenſu contractum, de Jure Civili eſt ipſo jure nullum.

II.

Tutor, ob culpam latam remotus, non fit infamis.

III.

Veſtimentorum regulariter eſt Quaſi-uſusfructus.

IV.

Donatio, ob ſupervenientiam liberorum, revocari poteſt.

V.

Fratrum filii, etiamſi ſoli ſint & thios non habeant, ſuccedunt in ſtirpes.

VI.

In Depoſito non habet locum retentio, ne quidem propter impenſas neceſſarias.

VII.

VII.

Exceptio non numeratæ pecuniæ poſt biennium non poteſt opponi, etiamſi debitor onus probandi in ſe velit ſuſcipere.

VIII.

Condictio furtiva adverſus furis heredes non datur, niſi quatenus ex re furtiva locupletiores ſunt facti.

IX.

Credens in refectionem navis non habet tacitam hypothecam.

X.

Inquiſitus, qui præſtito juramento purgatorio abſolvitur, recte adhuc in expenſas condemnatur.

FINIS.

WAs hilft der Perlen Glantz, wann Erd und finstere Nächte
Denselben nur verhült verbergen vor der Welt?
Was nützt ein Diamant, samt dessen schön Gemächte,
Wann er in tieffem Schlamm und Meeres-Bauch gestellt?
Sie nützen beyde nicht, und mögen nicht vergnügen,
So lang erwehnte Sach' so herrlich' Ding' besiegen.
Kein Wunder dann, mein Freund! daß Er auch dis wil sagen,
Da Er sein' Wissenschaft und Kunst ans Licht gibt hier,
Die auch, wie jene Sach', bisher verborgen lagen,
Nun aber tausend mahl mehr glänzen, wie Saphir;
Indem Er, was annoch mit Dunckelheit umringet,
Und schiene nicht zu seyn, so hell am Tage bringet.
Es ist dann meine pflicht, mein Freund! zu gratuliren,
Zu wünschen, daß ihn GOtt, aus seinem Himmel-Schatz,
So seegne ferner hin, so seegne sein studiren,
Daß Er dereinst im Rang der Grossen finde Platz.

Dieses wenige hat dem Hn. Defendenti und Freunde zu Ehren aus innigster Liebe hinzu setzen wollen

F. D. COCHIUS, Theol. Cult.

AD EUNDEM.

HEm! Tibi, *Virtutis* cui trita est semita, TENDRINGH,
Diva Themis templum pandet *Honoris*. Ave!

Vovet & ominor

JOH. ALEX. GUINAND PAGENSTECHER,
Hum. Lit. Stud.

Ab 1146548

Digitized by Google